RESPONSVM

AD

HOPLOCRISMA-SPONGVM

M. FOSTERI PRESBITERI, AB IPSO, AD VNGVENTI ARMARII VALIDITATEM DELENDAM ORDINATVM.

hoc est,

SPONGIÆ

M. FOSTERI PRESBYTERI
EXPRESSIO SEV ELISIO.

In qua

Virtuosa spongiæ ipsius potestas in detergendo Vnguentum armarium, ex primitur, eliditur ac funditus aboletur: ac tandem immodestia & erga Fratres suos incivilitas, aceto veritatis acerrimo corrigitur & penitus extinguitur.

Bilis acutissima, aceto correcta acerrimo, redditur dulcior.

Opera Dei, vir brutus & stultus non intelligit
Psalm 92. 7.

AVTHORE,

ROB: FLVD: alias de FLVCTIBVS,
Armigero & Medicinæ Doctore Oxoniensi.

GOVDÆ,

Excudebat *Petrus Rammazenius*, Bibliopola M.DC.XXXVIII.

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/responsvmadhoplo00flud

LECTORI CONSVLTO S.

QVàm longé ſemper ab animo meo fuerit temeraria illa dementia, ut quempiam, minimé ab eo vocatus, aut injurijs immeritò laceſſitus in quæſtionem, aut verbis aut ſcriptis vocarem, ſanioribus veſtris (lectores judicioſi) commendo judicijs: Agnoſco enim, me erroribus in ſcribendo haud indigere, cur igitur illud alteri facerem, quòd mihi fieri nollem? Hinc æquum eſt, ut feſtucam in oculo fratris mei detegerem, cùm in meo proprio, intuitu trabs ſit diſcernenda? Vel anne Philoſophia enutritum decet alterius damno vel erroribus (ſi qui ſint) ſua opera illuſtrare atque ornare magis? E regione, quis obſecro mortalium famam & dignitatem ſuam aut invidi aut malevoli aut ignorantis aſpeſionibus tabeſcentem, in ſe, veritatis quaſi opobalſamo reſtaurare non contenderet, cùm & parvula muſca ſuo ſplene prædita & vermiculus felle munitus naturali quodam inſtinctu ad opprimentium injurias propulſandas proclives eſſe animadvertimus? Certé, qui mea ſcripta priùs, idque minimé à me vocatus, eſt aggreſſus, meamque mundi Harmoniam, vocavit in quæſtionem, erat magnus ille aſtronomiæ profeſſor Iohannes Keplerus; vir, fateor, doctus, & in ſua inquiſitione analytica, non adeò ac poſteriores, temerarius & immoralis, qui ſcilicet pede magis modeſto incedens limitum Ethnicotum leges non eſt egreſſus: Sed more Philoſophi experti argumentis ſatis ſolidis cauſam ejus harmonicam, adverſus illam meam egit: Cuj, uti par erat, reſponſum dedi adeò plenum, ut non modò mundo, ſed etiam ipſi (ut pote vanis cavillationibus minimé addicto) ſatis fecerit, tunc quidem Marinus Merſenuus Monachus ad verſus me & Doctrinam meam inſurgit, quatenus ipſe de mundi harmonia itidem ſuo more pertractans, honeſtam de mea Harmonia famam haud tolerando, in illam & opera mea non modò invehitur, ſed etiam genuinos Philoſophiæ limites excedens, dicaculé probra in me minimé à quopiam mente ſano ferenda, dicere non erubeſcit. Denique miniſter ſeu. Presbyter variorum aliorum malevolorum, utcunque ſuo more Doctorum, turbâ ſtipatus & quaſi fulcro ſtatuminatus & bonam meam famam odio ac invidiâ perſequens, multos viros Doctos & per univerſam Europam famigerabiles ac præclaros, nimirum Paracelſum, Oſwaldum Crollium: Baptiſtam Portam Cardanum, Erneſtum: Burgravium; Rudolphum Goclenium; Iohannem Baptiſtam de Helmont, & me tandem, mininum Apoſtolorum, temere & fine ulterioris dubitationis alea, Cacomagos, veneficos & ſuperſtitioſos in tractatu quodam ſuo Anglico cuj titulus eſt *HOPLO CHRISMA SPONGVS*, nuncupat; quoniam probare conati ſumus, unguentum armarium eſſe donum Dei, effectusque ipſius meré naturales & non Diabolicos. Et ad me quòd ſpectat, ulterius mecum temulento ſuo more progreditur: Nam omnia à me libri 2. cap. 9. pro unguenti armarij ſive Magnetici defenſione allegata, Thraſonis glorioſi inſtar, quamvis inſulſé

satis, refutare aggreditur : Meum ergo erat in primis, ut me erga compatriotas meos (quippe linguâ anglicana impressus est ejus libellus) ostenderem penitus illius rei, de qua me tam acriter accusavit, insontem : & quamvis responsum hoc meum in publicum, idiomate etiam Anglicano (uti par erat) ederem : Nihilominus illud hoc in loco in latinum conversum ideò exposui, imprimis, quoniam ad sympathiæ & Antipathiæ mysteria enucleanda attinet, nec non præcipué, quia secundum Philosophiæ meæ Moysaicæ sectionem ad istud arcanum Magneticum luculentiùs mundo detegendum atque demonstrandum, quorundam amicorum meorum doctorum suasu atque incitamentis promulgavi. Vale.

EX-

EXPRESSIONIS SPONGIÆ FOSTERIANÆ.

MEMBRVM PRIMVM.

In quo virtuosa efficacia spongiæ M. Fosteri in emungendo, extirpando & delendo unguentum armarium expungitur & penitus aboletur, ut inde sauciata reputatio Vnguenti armarij, possit ad pristinum ac solitum suum splendorem & gloriam in ter homines restitui.

CAPVT. I.

In hoc ad omnes objectiones concernentes quæstionem prolatam ac propositam à dicto spongifero, seu spongiæ Authore respondetur.

PRæcipuus scopus universi ac totalis operis ipsius M. Fosteris, continetur in hac quæstione, quam in hunc modum proponit.

QVÆSTIO.

An curatio vulnerum præstita per Vnguentum armarium veneficium sit & illicita?

M. Fosterus confidenter affirmat: & equidem ad me quod attinet, mihi æquè seriò denegandum: offert ille se ultrò ad probandum illud duplici via; primùm naturaliter & Philosophia naturali: deinde supernaturaliter, videlicet Theologicis & Ecclesiasticis testimonijs: Videamus igitur, quomodò probaro possit esse veneficium, per regulas Theologiæ & rationes ex Naturæ promptuario desumptas.

Principaliora ejus argumenta in primo illius articulo.

Fosteri objectiones pag. 4.

Omnes licitæ medicinæ producunt effectum suum; vel Divina institutione: ut Naamani lotio in Iordane ad curandam lepram: palus Bethesdæ persanans eos, qui aquas ejus ingressu persentiscebant, facta ab Angelo, commotione, vel naturali operatione pro talibus virtutibus, quibus Deus donabat ac ornabat istiusmodi creaturas, ex quibus eadem pharmaca componuntur, ut acervus seu cumulus ficuum in curatione Apostematis Regis Ezekiæ, ut oleum ac vinum, quibus vulneratus convalescebat, adminiculo Samaritani.

Sed hoc Unguentum armarium operatur nullo dictorum modorum Ergo: Curationes, per illud præstitæ non sunt licitæ, sed præstigiosæ, Magicæ ac Diabolicæ.

Fluddus.

Minor negatur.

Fosterus.

Probo duplici modo, primùm non est ex institutione divina, quia nullibi in sacris citatur; secundò naturaliter non operatur, eò quòd operatur modo ab omnibus alijs agentibus diverso: Est enim Regula inter Theologos & Philosophos, nullum agens agere ad distans: quicunque operatur aut virtuali aut naturali contactu; sed hoc unguentum armarium neutro operatur

modo, Ergo non operatur naturaliter: Non operatur contactu corporali, nam corpora disjuncta sunt ac remota ad 20. milliaria vel amplius: Quare (si licitum sit) necesse est omnino præstetur virtuali contactu: Sed nec hoc quidem modo, eò quòd omnia agentia operantia secundum hunc modum, operantur intra certam distantem ac determinatam activitatis sphæram. Magnes operatur solummodò ex modica distantia.

Fluddus.

Ad primam tuam rationem respondeo, non sequi, quòd, quia non citetur in sacris, propterea non sit ex divina ordinatione ac institutione. Quid? An, quia ficus, vinum, oleum, imò sulfur contemperatum ac commixtum sputo, notantur in scriptura pro medicinis externis; proinde usus causticorum, vesicatoriorum, curatio per spuitionem, & similes externæ medicinæ, à medicis Christianis quotidié applicatæ, habendæ sunt pro illicitis, Magicis ac Diabolicis, eò quòd earum in scripturis nulla fit mentio? An verò nihil destinatum ac ordinatum est à Deo, nisi quod scriptura citet? Quomodò igitur verificari potest illud Apostoli, Deum operari omnia
1. Cor. 1. 12. in omnibus? Si omnia & in omnibus, operatur etiam actus omnes & operationes tam occultas & mysticas, quàm sensibus manifestas & apparentes: Ac proinde omnes actus à Deo instituuntur: Quia, juxta scripturam, quod Deus non vult, non facit, sed quando libuerit illi & secundum voluntatem suam operatur in cœlis & in terris: Vt igitur nihil instituit, nisi quod debet effici & in actum reduci: Sic nihil in toto hoc universo efficitur, quod ipse non velit, instituat & decernat: Vnde Apostolus concludendo inquit: Ab ipso, per ipsum,
Rom. 11. & in ipso sunt omnia: Sed latius diducam hoc & expediam, ubi tractabo quæstionem hanc negativé, nimirum ubi probaturus sum, unguentum armarium licitum & minimé cacomagicum.

Ad secundum tuum argumentum replico, illud non esse majoris momenti ac efficaciæ, quàm primum. Axioma Catholicum, Philosophorum vulgarium, super quo tu fundas probationem tuam, ad excludendum hoc unguentum ex limbo naturæ; est hoc: Nullum agens agit ad distans: Exinde tu effingis tale argumentum.

Fosterus.

Quicquid operatur naturaliter, corporali seu contactu virtuali operatur. Atqui hoc per horum neutrum operatur E. non operatur naturaliter.

Fluddus.

Primùm, quod attinet Axioma dictum in Philosophia, equidem illud falsum probare possem experientiâ meâ: Nam ignis calfacit ad distans: Fulgur ex nube fulminat ad distans: Laurus arbor operatur, ad versus vim tonitru ad distans: Sol & ignis agunt illuminando ad distans: Vis globorum Tormentorum bellicorum accedit sine contactu ad distans: Magnes agit & operatur in ferrum ad distans. Epidemia, dysenteria, morbilli interficiunt ad distans &c: Sed ut satisfacias huic, addis ad Axioma, dicens: Agit vel per corporalem vel per virtualem contactum, loco ejus, agit ad distans: Respondebo primùm majorem infirmari: Te enim scire vellem, fulgur aërem violenter movere posse, & aërem commotum per agentis contactum, nimirum fulgur, stupefacere ac mortem inferre posse: Ita, ut in hoc casu sit nec virtualis nec corporalis contactus agentis, sed accidentalis eventus inter virtuale agens & patiens: Simile appareret in globis bombardarum, qui volantes prope aliquem sine ullo contactu virtuali aut corporali, pessundant hominem: Nam agens, videlicet globus, movet medium, nimirum aërem violenter, atque aër ita commotus, dejicit hominem: Sed, licet Majoris probabilitatem transeam, nihilominus tamen minor omnimodé claudicat: Nam assero & constat cujusvis hominis ingenij capacitati, hanc medicinam curare per contactum virtualem, nimirum per proprietatem Magneticam, quæ operatur inter terminum à quo & illum ad quem, inter Principium & finem Magneticé occultè & mysticé.

Fosterus.

Minor seu assumptio probatur sic.

Omnia agentia operantia per virtualem contactum, operantur intra certam distantiam & determinatam activitatis sphæram: Magnes per virtualem contactum in ferrum agit, sed tantùm in modica distantia: Ignis est omnium furiosissimum agens, sed ignis decem milliarium magnitudinis, non potest urere aut calefacere hominem duobus milliaribus distantem ac remotum: Planetæ excellunt in operatione virtuali, omnia agentia sublunaria: Lumen solis transit per totum terrarum orbem; interim tamen, nubecula aliqua lumen ejus obscurat & calorem debilitat. Terra intercipit atque excludit lumen ab Antipodibus: Corpus Lunæ eclipsat solem: Num igitur agentia terrestria per distantiam aut interpositionem omnimodé, & cœlestia ex parte impedientur, at verò unguentum hoc armarium operabitur ab armis ad vulnus in omni & qualibet distantia? Nonne interpositio aëris, sylvarum, ignis, aquæ, montium, murorum, ædificiorum, castellorum, civitatem, caloris, frigoris nihil omnino remorabitur derivationem virtutis & efficaciæ ejus?

Fluddus.

Fluddus.

Quantum verò negotij nobis faceſſit cenſor noſter in re, ſcopo noſtro minus apta atque à propoſito aliena! Equidem eum ſyllogiſticé proceſſurum rebar ad periodum uſque argumentorum ſuorum, pro ut cæperat: Sed ipſum tot obſtacula in inceſſu ſuo offendere video, ad probandam propoſitionem ſuam, ut ad inſtar equæ laſſatæ, renuntiet modum demonſtrationis in media via: quare prolixam hanc reſponſionem ejus in Textus ſecem neceſſe eſt, ut particularius raptim & mixtim ad quævis illius particularia reſpondeam.

Foſterus.

Omnia agentia efficientia contactu virtuali operantur, intra certæ diſtantiæ & intra determinatam activitatis ſphæram: Magnes in ferrum agit contactu virtuali, ſed operatur tantummodò in modica diſtantia.

Fluddus.

Quis aſſerit, ullum contactum virtualem in infinitum operari poſſe, cum ipſe mundus ſit finitus? Sed pace tua, Domine mi: illa ipſa virtus ſpecialis, perficit operationem ſuam, vel remotius vel propinquius, prout exaltatur in actuali ſua poteſtate & eſſentia. Exempli gratia: quoddam genus pulveris tormentarij remotius ac longinquius promovet, quam aliud: fulgur hoc, de deſuper penetrat profundius, quàm illud; ita, ut etiam obſervatum fuerit, non ſolum profundè in cautes duras ſeu ſaxa penetraſſe, verùm etiam percuſſiſſe ſolidum gladium vaginæ impoſitum, atque eundem liquefeciſſe, cum alij ignes ſeu fulmina de deſuper curtius veniſſent à virtuali contactu ſuo, ſimiliter Magnetem hujus, majoris eſſe efficaciæ & agilitatis in operando, quam iſtum, deprehendimus: ac proinde attrahit ad ſe ferrum tam longiori intervallo, quàm majori vi & efficacia. Nunquid ſcriptura docet Deum diſtribuiſſe dona ſua quibuſdam abundantius & largius; & quibuſdam parciùs? ut etiam produxit creaturas quaſdam inferiores in uno eodemque genere virtuoſiores in agendo, quàm alias: Decet enim nos aſſiduè obſervare (quia tu de activitatis ſphæra loqueris) quò virtuoſius ſit agens centrale in ulla re, eò largiores fore ejus ſemi diametros & per conſequens ejus circumferentiam. Exempli gratia: quò efficacior eſt ignis, eò remotius ac longinquius ejiciet calorem ſuum circulariter: ita, ut ſphæra activitatis ipſiſſimi illius agentis in ſpecie nullatenus futura ſit certa, ſed longinquior aut brevior, pro poteſtate ipſius agentis, & per conſequens non obſervet ullam determinatam activitatis ſphæram: Denique M. Foſterus parum admodum ſibi cognitam habet admirabilem facultatem, hominis ſpirituum vitalium, dilatatorum aut emiſſorum, nec ullo modo conferri poteſt cum debili poteſtate communium creaturarum ſeu ignis Elementalis. Eſt influentia ſubtilis in puritate & penetratione, uſque adeò penetrabilis, imò potius liberius influentiâ ullius in cœlo ſtellæ; non impeditur à nubibus, aut intercipitur muris aut montibus; eſt vis eſſentialis procedens radicaliter à Deo, qui animat illum, movendo illum ſemper in medium aërem: Nunquid tute agnoſcis hoc, cùm dicis cum Apoſtolo: in Deo vivimus, movemur & ſumus? Sed ut progrediamur.

Foſterus.

Ignis eſt furioſiſſimum omnium agens: Sed ignis intra limites decem milliarium non poteſt urere, vel excalfacere hominem duobus diſtantem milliaribus.

Fluddus.

Vix equidem tibi fidem dare poſſum, mi Foſtere, nam certus ſum te inventuram ampliorem activitatis ſphæram in tali ignis proportione, quàm corpus tuum ſine aſſatione ſuſtinere poſſit: Nam, ſi vis unita ſit fortior, habebis tu ignem decem milliarium latitudine, qui non excalfaciat, imò quidem, non uſtulet & exurat duobus milliaribus procul? Iterum, ignoſcas, Domine, nam dico artificialem tuum ignem non eſſe rapidiſſimum omnium agens: nam fulgur de cœlo, multò potêtius eſt in operatione ſua, igne noſtro artificiali: nam licét ſit minoris areæ, quàm pars centeſima decem milliarium; tamen ita aërem inflammat ad plura milliaria, ut ſudorem creaturis à calore provocet. Præterea ignis & lympicus ſeu ſtellaris, tot hunc excellit paraſãgis, ut ſubeat ac penetret per multos gradus ulterius, quàm poteſt ignis Elementaris. Licét enim ignis Elementaris activitate abundet; tamen ſpiritu tam ſpiſſo præditus eſt, in quo fertur; ut, quamvis ſubtilis ſit & de fonte ignis cœleſtis in ſe, tamen, eò, quòd moveri non poteſt, niſi in ſuum medium ſeu ſpiſſum vehiculum, nimirum ignem artificialem, inferius ſine groſſó fumo rei combuſtibilis & naturalis & Elementalis ſine nubibus ac aëre, in quo fertur, hanc ob cauſam impeditur, quòd conficiat tantam ſphæram ſeu diametrum in activitate ſua: quia vehiculum exiſtens groſſum, non poteſt ſine aëris obſtaculo in illud penetrare: Sed ignis cœleſtis qui eſt fons ignis vitæ, ratione ſubtilis ſpiritus, qui eſt ipſius vehiculum æthereum, penetrat omnia, cùm nihil ſit niſi ſubtilis influentia, quæ, ut Philoſophi ſaniores aſſerunt, penetrat ſine obſtaculo rupes & lapides; imò vel ipſiſſimum terræ centrum, ut experientia ipſa teſtatur: Nam alioqui (inquiunt Philoſophi) influentia hæc non poſſet paulatim in terræ viſceribus formas metallicas producere & lapides pretioſos, plus minuſve nobiles prodignitate ſpiritus illius ſtellaris, qui immittit influentiam illam & puritatem vaporis illius Mercurialis, quem animat. Sed tamen vita hominis, depuratus ille ſpiritus

(inquam) quo vivit homo, ſubtilior eſt, parior & magis exaltatus illo; ac proinde majoris activitatis, ut manifeſtabitur infra.

Foſterus.

Stellæ, omnia agentia ſublunaria excellunt; ſolis lumen per orbem terrarum tranſit, ſed tamen nubecula aliqua lucem obſcurat caloremque debilitat: terra, detinet atque excludit lumen ab Antipodibus, corpus lunæ, Solem eclipſat, &c.

Fludd.

Si Stellæ cœleſtes ſublunaria agentia excellant, M. Foſterus in juſtam ac dignam ſané reprehenſionem incurrebat, dicens paulò antè, ignem terreſtrem violentiſſimum ac rapidiſſimum omnium eſſe agens. Sed hoc modo invadit me: Nam ſi cœleſtia agentia ſunt ſublunaribus potentiora, arguit illa habere majorem activitatis ſphæram, ac diametrales radios emittere poſſe longinquius, quàm vel Magnetem, ignem, vel ſimilia ſublunaria; in quibus licét agens ſit cœleſte, tamen uſque adeò obnubilatum ac impeditum eſt groſſo ſpiritu, compactoque corpore, ut operari non poſſit: ut in grano frumenti apparet, cujus internus ac centralis ignis, niſi libertati reſtituatur, non vult moveri ac exurgere è terræ ſuperficie ſurſum, verſus cœlum & multiplicari. Sed ad rem. Quam hiſtoriam narrat cenſor noſter de Sole, lumine Solis, Eclipſi, interpoſitione terræ inter Solem in Horizonte noſtro, & antipodes, impeditione, ſeu excluſione lucis per interpoſitionem nubis? Plus hercle arguit ipſius tenuitatem & ignorantiam in Aſtronomicis & Philoſophicis, quam ut revera tangat quicquam, quòd argumento noſtro aptum ſit: Nam confido, ipſi ignotum non eſſe, duo inſuper eſſe præter lumen, quæ apud Philoſophos exactè conſideranda ſunt, motionem ſcilicet & influentiam: ſi aſſerere velis, influentiam nubeculis intercipi poſſe, interpoſitione Stellarum, aëris, aquæ, terræ, protinus aberras, nec Philoſophiam primis labris deguſtaſti: motu, lumine, & influentia Stellæ operantur & non Solo lumine: Lux viſibilis obſcurari nobis poteſt, ſed influentia fluet ſine obſtaculo: Et in hac opinione ſunt Sapientiores ac emunctioris naris Philoſophi.

Foſterus.

An igitur agentia terreſtria per diſtantiam aut interpoſitionem omnimodè; & cœleſtia ex parte impedientur, & Vnguentum hoc armarium operabitur ab armis, in vulnus, ad omne intervallum? An interpoſitio, inquam, nec aëris, ſylvarum, ignis, aquæ, murorum, ædificiorum, Caſtellorum, civitatum, montium &c: nullatenus impediet derivationem virtutis illius?

Fludd.

Primùm aſſero, originalem in hac curatione actum ab homine vulnerato ad unguentum; & non (ut ille dicit) ab unguento ad vulnus procedere. Deinde huic bono viro uſque adeò occupato ac negotioſo, qui tantum de nihilo faceſſit negotij, retuli non ita pridem; quòd, pro ut hic Spiritus procedit à cœleſti influentia animatus à Deo, ideò non habet talia obſtacula & ejuſmodi impedimenta. Nec hoc ſubtile ab omnibus creaturis ſubtilibus ullo modo impeditur in deſcenſu ſuo ad alendam & nutriendam illam ſpeciem, cuj à ſpeciei creatione ordinatum ac deſtinatum erat: Sed tantum ſcire nos oportet, illud, antequam deſcenderet, fuiſſe Catholicum & generale; Sed poſtquam corpora noſtra penetrabat, ſpecialem ac particularem induit naturam, habetque ſpecialem cum natura ſibi ſimili ſympathiam: atque hanc ob cauſam ſpiritus vulnerati penetrat per vehiculum aëris, in quo ſanguis Vnguento applicatur, naturalique ad Vnguentum fertur affectu, eòque potius, quia ſanguis erat aër & aër eſt ſanguis dilatatus in ſuo externo, idque oculariter demonſtrare poſſum, & ſimiliter principale unguenti ingrediens erat ſanguis. Quare, quemadmodum cernimus, Solem per radios ſuos ſpiritum ſuum emittere in granum frumenti in terra, vivamque ſuam influentiam, ſeu radios eſſentiales emiſſionis continuatos habere cum ſuo ſimili; imò illo ipſo, quod delitescit in grano mortuo ac corrupto, atque ita paulatim revivificat illud, quod quaſi mortuum erat ac in corruptione ſepultum, faciens illud augeri ac vegetari cum multiplicatione: pari modo nec aliter, Sol vitæ in homine vivens & adhuc movens in homine in morem Solis macrocoſmici vivos influentiæ radios continuatos habet, cum ſpirituali ſcintilla in ſanguine mortuo, qui idem eſt cum influentia emittente; ſed ſepultus in mortuo corporali grano, nimirum ſanguine mortuo conducto ad Vnguentum: Quod unguentum comparamus terræ præpingui, fertili ac fæcundæ, ut magis aptæ nutritioni ſpiritus ejuſmodi occulti, qui delitescit in ſanguine: ſiquidem illa, nimirum Vnguentum ac ſanguis, tranſlata ſeu commiſta illi, non ſunt ſibi invicem peregrina, ſed homogenea, vel potius æquè familiaria, ac corpus unum ſpecificum ſpiritui ejuſdem in natura gradus: nam, quatenus corpus Vnguenti eſt compoſitum, juxta receptum meum, ex ſanguine, carne pingui & Vſneâ ſeu ex creſcentiâ oſſium ejuſdem microcoſmicæ ſpeciei, licét non individui, quæ omnia animantur ab illo ſpiritu reſidente in ſanguine humano. Influentia vitæ igitur procedens à microcoſmico ſeu humano Sole, & aſſiſtens, revivificans ac multiplicans

tiplicans paulatim granum vitæ occultum, in sanguine amputato jam nunc in unguento, atque etiam excitans potentialem seu stupefactum spiritum in Vnguento: haud aliter, ac Solem cœlestem vernali tempore spiritus terræ excitare videmus, quos hyems gelida stupefecerat, inter duo extrema, dum homo convalescat, operari non desinit.

Hoc est verum quæstionis mysterium & ego sustinebo, usum terræ ad putrefaciendum, excitandum & multiplicandum granum esse Magicum, diabolicum ac illicitum, si realiter demonstrari queat, usum hujus Vnguenti veneficium esse ac minimé ferendum: nam eorum multiplicationis mysterium, item revivificationis ac conjunctionis vivificatis spiritus est unum idemque cum spiritu alterius vivificato. Erat Typus, quo D. Paulus nos docet resurrectionem, nimirum per mortificationem ac putrefactionem frumenti in terra: & quod ad Solis operationem attinet, in grani multiplicatione, quisque arator vel agricola vos inibi instituet. Itaque ad concludendum hoc; videmus solem quandoque longius abesse & quandoque propius adesse, & tamen non cessare plus minusve operari vegetando & multiplicando in animalibus, vegetabilibus ac metallis: exaudienda mihi est jam ipsius conclusio.

Fosterus.

O agens agentium! Angeli cœlorum sané vix operari possunt ad ejusmodi intervallum: Deus Solus, cujus essentia est infinita, qui est omnia in omnibus potest ita operari, quia nihil ab ipso distat omnino: nam in ipso vivimus, movemur ac sumus: Act. 17.

Fludd.

Dimitte verò ad mirationem tuam: nihil facit ad hunc Textum nostrum; reclusisti propriam tuam absurditatem, vellem, te ex hoc dimittere abolitionem & expunctionem Vnguenti nostri armarij; & é diverso uti spongiâ nostrâ ad extirpandas ac delendas maculas erroris tui proprij, quem plené expressisti in hac assertione tua: nam hac ratione evertisti statum controversiæ tuæ: Dicis quidem post admirationem tuam immodicam, Angelos cœli ad hoc intervallum operari non posse: quapropter in hunc modum concludo, Ergo multò minus Angeli infernales, sunt enim obscuriores ac ob id minoris extensionis: jam verò dicebas anteà, nubem intercipere Solis lumen, proinde Herclé diabolus, qui Angelus est tenebrarum multò magis impediatur necesse est in operationibus suis virtualibus, ac per consequens in extensione potestatis suæ, quàm Angeli lucis. Sed est virtus diaboli, inquis, quæ causat hoc unguentum edere ejusmodi effectus in tam longo intervallo, nam alioqui non esset veneficium nec diabolicum: Itaque tu sic pro me infers: Solus Deus, cujus essentia est infinita, & qui est omnia in omnibus, potest hoc modo agere &c: Ain' verò? Et M. Fosterus eam ab causam hunc actum attribuet diabolo pessimo ac nequissimo Angelorum, atque ita plus, quàm vulgarem Idololatriam committere non erubescit, arrogando atque imputando id creaturæ, quin etiam ipsi diabolo, qui propria sua confessione pertinet ad Deum. Confiteberisne, eum esse omnia in omnibus; & tu diabolum constitues magis omnia in felicitate curandi, quàm Deum ipsum? An agnosces cum Apostolo, Deum operari omnia in omnibus, & an tribues ac ascribes effectum ejus (cujus fructus est bonitas) diabolo, quem prædestinavit ac ordinavit ad puniendum, destruendum & corrumpendum, non verò ad sanandum? Nonne absolutè concludis pro unguento armario, dicendo: in ipso, vivimus, movemur &c: Proh Deûm atque hominum fidem! Quis hic error in tam insigni ac notabili Philosophastro, imò verò in Theosopho! Percipiat mundus ex his, quædam videri & non esse: Sed ut ulterius ad periodum progrediar.

Fosterus.

Iudicet igitur judicio ac pietate pollens lector, an medici Vnguenti armarij, Deum non effingant ex unguento suo, & an Idololatriam non committant attribuendo id pauxillo linimento propriæ suæ confectionis, quod solius Dei rerum omnium opificis est proprium.

Fludd.

Falleris, domine, non faciunt Deum ex unguento suo, sed immortales ei gratias agunt pro dono illo benedicto miraculosæ curationis, quam largitus est huic unguento: Nec Iudæi curandi proprietatem paludi seu lacui Bethesdæ tribuebant, sed Dei sanationi aut Angelo salutifero, qui impertiebat ei donum illud. Quare vellem te, domine, ac præterea Vniversum mundum probé scire, omnem Idololatriæ suspicionem in hoc casu à medicis tolli: nam, quatenus debita agnitio ac veneratio ab illis Deo soli ascribitur, pro benignitate ejus in curatione per hoc unguentum manifestata: imò potius stylus idololatræ haud immeritò tibi ipsi, Domine, imputari debet, qui tam profané ac impié benignas hasce curativas Dei benedictiones, diabolo creaturarum nequissimo imputare audes.

Iterum, negamus, esse artificialem compositionem manu humana conflatam, quæ curet, sed naturalia ingredientia compositionis, quæ Deus originaliter ornavit ac donavit occulta ac mystica istiusmodi virtute in per sanando: ut verò tandem concludã hunc punctum, si judicio valēs lector probè verba Textus Fosteriani ponderabit, inveniet cum inibi Apostatam aut hæreticum juxta propriã illius doctri-

nam: Nam ejus assertio, quam more gygantæo sustinere videtur, est, Vnguentum armarium esse Diabolicum seu effectum, subtili Sataneæ artificio : At vero in hoc Textu dubitanter ac vacillanter ait, medicos attribuere Vnguento seu linimento modico, quod Dei solius est proprium: quod si verum sit (ut & est) M. Fosterus in abominando versatur errore, ut qui affirmat, hanc curationem solummodò esse actum ac Diaboli opus.

Arque hoc modo (lector candide) vides efficaciam rationum hujus viri, tam Philosophicarum, quàm Theologicarum : Vnde videtur ex ignorantia causæ, palliare Dei bonitatem, præstigiosâ larvâ Satanæ: Vides ejus improbabilitatem : Sed, quemadmodum peccatores resipiscentes, sub finem convertunt semetipsos à Diabolo ad Deum, sic (Deo gratiâ) hujus Vnguenti armarij adversarius, ductus potiùs spiritu bono, quàm voluntate ipsius propria, concludit veré, dicens, non esse Angelos bonos, ideòque multò minus Diabolum, qui possit talem actum effectum dare, sed Deum solum : Gaudeo equidem conuersione ejus, licet contra ejus voluntatem. Ecce, quam conveniat ipsi cum inimico ejus decumano, damnato illo Paracelso (ut ipsum nuncupat) qui affirmat esse donum Dei : Quod ad authores, quos ipse citat contra illud, equidem non suspicio ipsos, totidem sunt pro parte illa melioris authoritatis ac judicij : Si quidem nec sunt scholastici vestri, qui tantummodò laborant in imaginaria speculativa Philosophia : nec Iohannes Roberti Iesuita, ac similes Theorici phantastici, sed eruditi medici, insignes Philosophi, tam Theoricé, quam practicé in naturæ mysterijs versati; ac ob id eò commodiora subjecta & organa ad discutiendum negotium naturæ hujus physicæ : Inter quos in primo loco apello Episcopum Anselme, qui ob integritatem, eruditionem insignem, ac vitæ pietatē, sanctus Canonizatus est: & inde inter profundos Philosophos ac medicos, qui versati sunt in mysterijs Dei ac naturæ, Theophrastum Paracelsum, qui haud in commodè donum Dei nuncupat, Cardanum, Iohannem Baptistam Portam, Oswaldum Crollium, Iohannem Ernestum, Burgravium, Rudolphum, Goclenium, Iohannem Baptistam ab Helmont, ac complures alios famosus & expertos Philosophos, medicosque, qui tam arte Alchymiæ practica (qua quidem nulla est in mundo scientia, que magis ocularitèr detegat ac discorperiat abdita naturæ mysteria) quàm alijs crebris observationibus, super rationibus fundatis, non verò super imaginaria solummodo speculatione, consimiles veros Philosophos huic mysterio curationis immerserunt : Viri, inquam, qui fuerunt æque astuti ad evitandam & cauti ad prævidendam Diaboli fallaciam, imò quidē ad distinguendū ejus actum ab illo Dei actu in natura, ac M. Fosterus, vel ullus alius Pædagogicorū ejus magistrorū: Et licet nonnulli superstitiosi medici hujus regni, (tales intelligo, qui promptiores sunt ad præposteré judicandum hoc negocium, quàm ad ponderandum illud debita consideratione) videantur illi adversari, tamen ignorare non possunt, pluta latere, quàm quæ patent.

Ac proinde si ignari sint in hoc mysterio, indicium erit summæ illorum sapientiæ ac prudētiæ, tacere, nec censurâ suâ rodere illud, hoc certum atque persuasum habentes, plura occulta & abdita esse in natura, quæ non cadunt sub sphæram capacitatis suæ : Verbum sapienti.

Iterum reor rem aptam ijs, qui Philosophiæ principia à primo limine vix salutarunt, nec verò confirmato Philosopho in secretis naturæ dicere : Ipse dixit: Ergo ita est. Quia humanum est errare. Hæc verò sapientia in Philosopho maximé probanda, primò, in mysterijs divinis in natura sapienter se immergere; ac tum posteá, ubi confidens est, concludere demonstrativé, nec verò ex aliorum relatione, sed ex propria ipsius cognitione.

Itaque cùm M. Fosterus nihil intentatum reliquerit ad annihilandum, exsibilandum atque explodendum nobilissimam hanc medicinam, cuj quidem adhuc in morem oppositionis superficialiter tantùm ac per viam solutionis ejus objectionum respondi, equidem vos mihi concessuros veniam & spero & confido, ut nihil etiam intentatum relinquam ad exprimendam & excutiendam ex formidanda ejus spongia reputationem Vnguenti armarij, quam ad instar phalacrocoracis devoravit ac deglutivit.

QUÆSTIO.

An curatio vulnerum per Vnguentum armarium sit veneficium & illicita nec ne, primò Theologicé.

Nego ac probo duplici via. } Deinde Theo-Philosophicé, hoc est, per puram Philosophiam naturalem.

CAPVT.

CAPVT, II.

Hìc virtus & felix operatio unguenti armarij probatur esse Dei donum ; nec verò ullus Dioboli actus.

M. Fosterus affirmat, Paracelsum asserere , virtutem hujus medicinæ esse donum Dei: Quam ob causam admodum succenset illi, vocans eum veneficum, conjuratorem ac Cacomagum : Bene retribuetur ei, qui bonitatem concionari parat vel homini insano , vel ingrato , vel Zelotypo alicuj sine sensu : Sed post quam nihil intentatum reliquit M. Fosterus, quo probaret usum hujus unguenti esse Magicum , præstigiosum ac Diabolicum; equidem me contrarium super ijsdem fundamentis demonstraturum & spero & confido, ascribendo debitam ac veram appertinentiam Deo vero possessori , ac privando illis Diabolum , quæ per instrumenta sua falsò usurpavit.

Quemadmodum , antequam paremus extruere palatium aliquod magnificum ac splendidum , opus est positione firmissimi ac fixissimi fundamenti , ad sustinendam tantam machinam insuper : Sic, antequam incipiamus stabilire fortissimam defensionis arcem , quæ sit instar firmissimæ oppositionis negativæ contra adversarij mei affirmationem , equidem commodum existimo colligere validissima quædam fundamenta seu spiritualia argumenta , quæ loco lapidum angularium valeant statuminare ac suffulcire universam veritatem quæstionis propositæ & veram ejus resolutionem ex primere , esse illam prorsus contrariam ac oppositam illi , quam profert. Quare imitabor ipsum , descendendo in inquisitionem hanc hoc syllogistico argumento super propria ejus confessione fundato , quam ipsemet effutit pag. 7. Angeli cœli, inquit, non possunt operari ad tantum intervallum, Solus Deus,cujus essentia est infinita, ac est omnia in omnibus, potest hoc modo operari.

Itaque si Deus operetur omnia in omnibus per se ipsum sine adminiculo ullius creati Spiritus seu corporis , Diabolus non est actor in Vnguento armario ; sed Deus operatur omnia in omnibus per semet ipsum,sine essentiali assistentia seu adminiculo ullius creaturæ : Quare Diabolus nihil ex vel per semet ipsum operatur, quamvis in suo officio ac munere sit malus ac destructivus , multò minus ad bene agendum , ut supponimus per curationem ex unguento armario , quòd ejus conditioni adversissimum est , ut pote creati ac ordinati post ejus lapsum ac defectum ad alium finem.

Major patet , quia universale comprehendit quodvis particulare : Ac proinde si Deus operatur omnia in omnibus , Diabolus nihil quicquam operatur , atqui curatio est operatio , ac eam ob causam solius Dei opus.

Minor sive assumptio rectificatur ab hisce Apostoli verbis : Diversitates donorum sunt , idem verò Spiritus : & diversitates sunt administrationum , unus verò Dominus, ac diversitates sunt operationū, unus verò Deus ; & idem operatur omnia in omnibus: Per unum eundemque Spiritū dona sanationum dantur. Ex quibus apparet , Deum primùm per spiritum suum operari omnia in omnibus , & inter hasce operationes nobilissimus ille actus & donum sanationis numeratur : Ac proinde non est Diabolus,sed Deus , qui solus medetur : Iterum Propheta ait, misit verbum suum ac sanavit eos. Et sapiens : Verbum tuum (ô Domine) sanat omnia. & D. Iohannes : In verbo erat vita &c : Quapropter omnis curatio & virtus vivificans ab ipso descendit , ut destinata ab ipso locutore seu Creatore ab initio , ad informandum , vivificandum & creandum omnia. Cùm è contra in Diabolo sit mors & destructio : Nam Propheta testatur , illum creatum fuisse ad destruendum , quare, nihil nisi afflictio & vulneratio cum morbo , mors ac destructio sperari possunt ab illo in creata ejus proprietate , & hoc particulariter post ejus defectum.

1.Cor.1. 12

Psam.107.0.

Sap. 16.

Iohan 1.

Sed novi , M. Fosterum repositurum, verum quidem esse, quòd ille sit causa primaria & principalis omnium ; Sed sunt complures causæ efficientes subalternatæ, quæ ex semet ipsis operantur, idque juxta propriam suam inclinationem , hæ ad bonum : illæ ad malum.

Ad hoc replico , in confesso esse , si ipse intelligat organicas causas , nec verò efficientes essentiales , tales enim sunt Angeli, stellæ , venti , Elementa , Meteora seu imperfecta corpora & perfectæ seu compositæ naturæ. At verò dilucidè apparet , solum Deum in ipsis essentialiter & per ipsas omnes operari : & probo hoc pluribus locis paginæ sacræ,harmonicè consentientibus in unico sensu: Vt exempli gratia Ego Dominus (inquit Dominus per Prophetam) faciens omnia solus & nullus mecum. Atque iterum : Iuxta voluntatem suam facit tam cœli virtutibus , quàm in habitatoribus terræ,nec ullus est, qui possit resistere manui ejus. Quibus claret , Deum solummodo sine ulla creatura assistente in quodvis organicū subjectū essentialiter operari,ut in instrumentum creatum prose ad operandum per illud voluntatem & placitum suum , tam in cœlo , quàm in terra, & sine actu illo creaturam esse ad instar trun-

Isai.44. 24. Daniel. 4.

ci emortui, quæ vix plus agere valet, quàm
Esai.46.10. fistula sine halitu inflatoris : & ad hunc quidem effectum sic loquitur Propheta: Consilium meum stabit & omnis voluntas mea fiet, vocando aviculam à quadra mundi Orientali, & virum secundum voluntatẽ meã, ex remotissima regione, dixi & effectũ dabo: Creavi & perficiam: quibus patet, ad instar spiritus oris ejus, quem ad animationem cujuslibet creaturæ emisit, moveri illum, eò, quà voluntas Creatoris seu inspiratoris fert : Sic spiritus creaturæ, qui particeps est potestatis & voluntatis ejus, immediatè obedit, ac secum perfert corporeum suum instrumentum seu organum, ad complendam Creatoris sui voluntatem, quæ est
Iob.23. irresistibilis, juxta alium illum locum: Deus quodcunque voluit, hoc facit.

Atque hæc Dei operatio tam per semet ipsum, quàm per creata ejus organa extendit se non modò ad vulgares & manifestas actiones & effectus, sed etiam ad arcanos & occultos; quin etiam ad miraculosos & stupendos: Perinde, ac hæc curatio per Vnguentum Armarium apparet phantasijs ac imaginationibus mundanorum, cogens eos admirari & stupere ad instar acervi avicularum, ad noctuæ visum in arbusto hederaceo, taxans eos diversi modè, juxta sapientiam hujus mundi, idque juxta cujuslibet phantasiam: Quibusdam audacter & confidenter exclamantibus, esse opus diaboli: Quibusdam statuentibus esse hyperas nænias vanamque imaginationem in minus credulis; qui habentes bonam de eo opinionem, curantur: Quibusdam damnantibus illud tanquam superstitiosum & abominandum curandi modum, quatenus electio ingredientium fieri debet astrologica observatione: & quidem nonnulli propinquius ad veritatem accedentes, Magiam naturalem vocitant, seu Magneticum vel secretum naturæ actum: Atque alij magis essentialiter radicati ac religiosè observantes præscriptum ordinem paginæ sacræ, (ut veros Christianos decet) referunt tam miraculosum & stupendum curandi actum, quàm quodvis prætereà aliud miraculosum opus, ad illum Deum gloriosum, qui creavit & cœlum & terram, assignavitque ijs per spiritum suum tam virtutes istiusmodi, quæ operantur miraculosè & stupendè in oculis mundanorum, quàm alias, magis familiares apparentes sensui ipsorum, juxta illud Davidis : Verbo Domini firmati sunt
Psal. 33. cœli & spiritu ab ore ejus omnis virtus eorum. Et quidem principale fundamentum eorum ad stabiliendum jus Dei & ad abolendas & tollendas omnes hujusmodi miraculosas & stupendas facultates seu potestates, ut falsò à mundanis occæcatis, ascribuntur diabolo, præscribitur ipsis ex divino & veridico hymno Regalis Prophetæ.

Psalm.71.18. Benedictus Deus Israelis, qui solus & per semetipsum operatur mirabilia! vel ut extat alibi.

Benedicite Domino, nam misericordia Psalm.135.3. ejus durat in æternum, qui solus facit mirabilia magna.

Et per consequens non ullus Diabolus, nec Angelus, nec homo, nec medicina, sed Deus solus præstat id : Per hoc, spirituale sanandi donum impertivit homini & suis creaturis in creatione earum & continuavit idem in ijs à generatione in generationem.

Itaque constat, solum Deum operari omnia in omnibus essentialiter, non verò ullum creatum organum, sive sit spirituale sive corporale : & per consequens nullatenus Diabolus: (qui est organum tenebrarum destinarus ac animatus seu agitatus solummodò ad effecta tenebrarum producenda, qualia sunt morbi & destructio; non verò, ut versetur in bonitate, & præcipuè circa opera lucis, ut sunt vita, curatio & preservatio) ac si diceret, Deum agentem & operantem essentialiter in omnibus & super omnia non creasse Angelos bonos seu organa spiritualia ad reducendum in actum & perficiendum dona vitæ & sanitatis, quæ ex misericordia sua impertivit creaturis suis; sed necesse est delectum ipse faciat spiritualis illius organi ad talia benefica effecta præstanda, quem creavit ad propositum omnino contrarium, ut statim probabitur.

Non potest resisti nec obstari menti ac voluntati divinæ, tam in ejus creatione, quàm post illam, hoc est non potest ullus produci effectus voluntati ac decreto ejus cõtrarius.

Sed Dei intentum ac voluntas erat diabolum constituere instrumentum suum seu ministrum ad puniendum ac morbis, infirmitate & morte affligendum.

Ergo huic ejus intento, tam in Diaboli creatione, quam destinatione post ejus defectum, non potest obstari aut contradici per ullum effectum, qui priori illi voluntati ac decreto divino est contrarius.

Itaque pro majoris confirmatione sic Daniel.4. scriptum reperimus : Deus juxta voluntatem suam facit, tam cœlestibus virtutibus ac potestatibus, quàm habitatoribus terræ, nec ullus existit, valens manui ejus resistere. Atque iterum: Quod cunque Deus voluit, hoc facit: & iterum, quòd ad voluntatem Iob.23. ipsius in creatione (ut anteà) consilium me- Esai.46.10. um stabit, & omnis voluntas mea fiet. Atque ob eam causam scriptum extat in gene- Gen.50. si : Voluntati Dei num possumus resistere? Rom.9. Et Apostolus habet: Voluntati Dei quis resistat? Non ulla creatura, & redditur ratio à Prov.19. sapiente Salomone, quia voluntas Domini in æternum permanebit. Et per quem igitur, obsecro operatur & in actum reducit hanc voluntatem & decretum suum ad benignitatem & curationem? Quid? An per diabolum? Contra ejus originalem destinationem, imò quidẽ per ipsum, qui omni bonitati rebellis est. An possibile est, ut ille, qui ne hibum quidem probitatis possidet, possit pro-

sit producere & effectum dare ejusmodi donum probitatis & charitatis, quale est illud curationis ? Minimé verò, quin hoc perficitur per Christum servatorem Catholicum, qui potestatum & potentiarum caput est, qui nc titulum quidem alterat in perficienda voluntate Dei in cœlo & in
oh.6. terra, ut dictum est: Voluntatem ut faciam ejus, qui misit me, de cœlis descendi: Quare solus est Dominus noster Spiritualis Iesus, cuj potestas data est à Patre, qui perducit omnia ad finale effectum illud, quod absque ulla contradictione decernebatur à Patre; non verò à falsis Dijs, nec Angelis,
. Cor.8. nec Diabolis, nec hominibus, juxta illud antea à me relatum: Licet sint, qui vocitantur Dij tam in cœlis, quàm in terris, tamen nobis unus solummodò Deus Pater à quo sunt omnia: & unus Christus Iesus, per quem sunt omnia. Quibus arguitur, Deum Patrem decernere, tanquam Pater & radix omnium, in quo complicité & idealiter erant ante omne Principium; sed filius essentialiter perficit voluntatem ejus, facitque quodlibet ideale, apparere explicité ac realiter: Ac propterea nec Angeli nec Diaboli nec stellæ, nec quicquam aliud, sed solus Dominus noster Iesus Christus, movendo in ministris suis tam Spiritualibus, quàm corporalibus, efficit tum in creatione, tum extra eam omnia, quæ existunt, & per consequens artem curatoriam.
Psal.78.49. Atque hinc docemur ex scripturis (ut dictum ante) esse verbum, quòd curat omnes dolorosos istos morbi effectus, quos Diabolus in actum reducit: Nam primùm Psalmista ait: Immisit in eos iram indignationis suæ, iram & tribulationem per malos Angelos &c: Itaque hîc videre licet effectus officij Diaboli ac Angelorum ipsius, nimirum ut percutiant & vulnerent, afficiant morbis: & tum posteà in alio loco ostendit immediatum Diabolicorum hujusmodi effectuum curatorem, hisce verbis: Misit verbum & sanavit eos: Et sapiens inquit: Non herbâ aut Malagmate,
Psal. 107.20. sed verbo tuo, quod sanat omnia, curasti eos. Vobis similiter Herclé dico, non esse herbam seu medicinam animalem mineralemve; Sed donum curationis, in dictis creaturis assignatum ijs, in creatione earum
Esai.54.10. per verbum, quod sanat.

Quod ad minorem; confirmatur illa expresso Prophetæ sermone, loquentis in ipsius Dei persona: Ecce ego creavi fabrum, sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum & ego creavi occisorem ad disperdendum. Quibus videre licet, voluntatem Dei non fuisse, ut crearetur seu ad minus constitueretur post ejus defectum curator, præservator seu factor, sed vulnerator ac destructor: Quin imò natura ejus facta erat usque adeò maligna & malitiosa, ut non solum invideat homini prosperitatem (ac proinde contra officij sui naturam à Deo sibi assignati in creatione, vel post lapsum ejus, Angelus ejus cuatorius esse non potest) verùm etiam malè habet ac dolet de excellentia Dei Creatoris sui, ut Sap.2.
apparet capite tertio Geneseos: Hinc Salomon inquit: Diaboli invidiâ mors introivit in orbem terrarum: Ac proinde quàm procul abest à præstando officio sanationis aut præservationis: Christus est, qui vitæ administrationem habet, præservationem & sanitatem, qui hanc ob causam missus erat ad resistendum malignis Satanæ actibus: diabolum habentem mortis imperium (inquit D. Paulus) Christus sua morte destruxit: Est salutifera illa emanatio Dei Patris vitæ: qui ab omni principio erat ordinatus ad compescendum ac vincendum diabolum & malitiosas ejus actiones & effectus: Quatenus diabolus adversarius, tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret: An igitur jam evasit medicus & versipellis in illo officio, ad quod propter Dei voluntatem creabatur ? An occideret tot homines, cùm esset tyro medicus, & ad invenit jam longâ experientiâ Vnguentum armarium ad curandos nonnullos? Egregiam verò eamque ingeniosam conclusionem M. Fosteri & Iesuiticum Iohannis Roberti patrem nutricium, in hac cæca imaginatione. Heb.2. I. Pet.5.

Iam verò eâ me audaciâ induam, ut argumentum pro hoc unguento non admodùm absimile ab eo, quod M. Fosterus effinxit, producam.

Si nulla sit institutio aut Authoritas ex pagina sacra, ad certificandum ullum effectum curativum, seu artificium diaboli, vel supernaturalibus vel naturalibus medijs, non est ratio, qua credamus, curationem per Vnguentum armarium præstitum, ope diaboli perfici.

At verò in pagina sacra nulla reperitur ejusmodi certificatio pro curatione vulnerum à diabolo, vel supernaturaliũ vel naturalium mediorum ad miniculo.

Ergo credendum non est, curationem per Vnguentum armarium arte seu actu diaboli perfici posse.

Major est unius ejusdemque effectus cum illo Fosteri argumento, ubi videtur asseverare, quia usus hujus unguenti armarij non efficiatur institutione divina, nec etiam ullum testimonium seu exemplum ad confirmandum illud ex sacra pagina habeat, illud ideò esse præstigiosum: Atque iterum, (ut dictum antè) quod Deus originaliter decrevit in Idæa Archetypa, illud alterari non potest; sed diabolus ordinatus erat ad alium finem, pio ac benigno actui sanandi omnimodé contrarium.

Minor probatur per id, quod jam dictum est; pro ut etiam verba servatoris nostri admodùm efficacia sunt, multumque faciunt pro scopo nostro: Nam, cùm curasset aliquem, qui erat & cæcus & mutus & possessus à maligno spiritu, Matth.12.22.

ita, ut (ut Textus ait) ille, qui erat cæcus & mutus, posset videre ac loqui: Pharisæi replicabant: hic ejicit dæmonia per Beelzebub, principem Dæmoniorum; Sed Christus reponebat: quodvis regnum divisum contra semetipsum, ad nihilum reducitur, & quælibet Domus aut civitas divisa contra semetipsam, non consistit, sic si Satan ejiciat Satanam, divisus est contra semetipsum. Quibus claret, omnes morbos tam internos, quàm externos ex Dei decreto infligi hominibus per Diabolum ac ejus Angelos, ministros scilicet creatos, per quos & in quibus Deus solet exercere vindictam & punire creaturas mortales: Nefas esset & haud levis injuria officio ipsi destinato in sua creatione, vel immediatè post eam, redundaret, contra suos proprios exercere violentiam, ejiciendo ipsos, aut sanando damna ab ipsis effecta. Complura dantur loca in sacris ad confirmandum, Satanam ejusque Angelos contrarios & oppositos esse arti curatoriæ, ac semper promptos esse ad noxam inferendam per morbos & morbo affligendum; at verò non possumus reperire ullum, qui testetur ullam facultatem curatoriam in eo: ut exempli gratia dictum est, potestatem assignatam fuisse quatuor Angelis, qui à Deo creati erant præsides quatuor ventorum, ad nocendum terræ, mari atque arboribus: jam verò quilibet horum erat princeps multarum legionum malignorum ac sauciantium spirituum: iterum Propheta ait: Deus venit ab Austro, cœli obregebantur gloriâ ejus, ac terra laude ejus imprægnata erat: ad pedes ipsius erat mors (ut Ieremias habet) egredietur Diabolus ante pedes ejus; sed alij interpretes dicunt, quòd pestis præcedebat eum, ac contagium furens ac destruens in Austro. Et David inquit, ne timeas epidemiam furentem in Austro (ut nonnulli interpretes habent) sed D. Hieronimus inquit à Dæmonio meridiano. Invenimus, fuisse Satanam, qui erat Dei instrumentum seu organum, quo perficiebat voluntatem suam super Iobum, ac inde dicit Creatori: imponito ipsi modò manum tuam &c: Quibus verbis significari potest, ipsum plus tribuisse reverentiæ Creatori suo in hac agnitione & confessione sua, quam ipsum D. Fosterum, constituentem hoc organum morbi, peremptorium & absolutum agens, tam in effectu curationis, quàm destructionis, nimirum ex semet ipso, non quidem, ut est solum organum & instrumentum, per quòd Deus essentialiter operatur proprios suos fines vindictæ, contra offensores suos. Hic ergo erat is, qui vulnerabat Iobum illum patientem, immundo ulcere seu tumore, excitabatque in spiritibus ejus febrem ardentem, quæ ipsum ita exclamare cogebat in cruciatibus ejus: Sagittæ Omniporentis acerbæ sunt contra me, earum virus absorbet spiritus meos & Dei tribulationes, quæ acriter mihi obstant, se opponunt mihi: ubi omnia Deo attribuit, non verò Satanæ, qui est ejus organum vulnerans. Similiter David conspiciebat Angelum Domini destructorem inter cœlum & terram, cum ense denudato in manu ejus Hierosolymam versus extenso, qui peste maximum numerum percutiebat: Pari modo Iosua dimittebat Angelum occisorem ad Assyriorum Castra, qui trucidabat quemlibet fortem & armorum validum unius noctis spatio. Sic Moyses, organo Dei destructorio (utens loco unguenti armarij, quod contrarium erat ejus officio, arti ac industriæ, aspersione pulveris cujusdam infectorij ac contagiosi) affligebat Ægyptios ulceribus ac pustulis: At verò non esse Angelicum organum, sed Deum in organo ipsum, qui essentialiter actuat & percutit, apparet, ex hoc loco, ubi Iehova dicit: circa mediam noctem ego ingressurus ero in medium Ægypti & morietur omnis primogenitus: Sed in proximè sequenti capite dicitur: Iehova transibit per portam illam & non sinet interfectorem seu percussorem domos vestras vastare: Vnde liquet, actum Dei essentialem præsentem esse cum destructore actuali & agere in eum: Denique, ut demonstrem vobis, fuisse spiritus malignos, qui agitatione Creatoris sui causabant ac producebant morbos ejusmodi in Ægypto: Propheta regius arguit in hisce verbis anteà citatis, immisit in eos iram indignationis suæ, iram & tribulationem per malos Angelos. Equidem probare hoc possum compluribus Textus sacri exemplis, videlicet, quomodò Deus puniat & affligat per morbos, infirmitates ac mortem, per istiusmodi ministros suos destructores seu causas organicas, quas de industria creavit ad perficiendam ac complendam voluntatem suam in hoc affligendi modo: Sed probari non potest, ipsum detinuisse eos in officio contrario, in illa scilicet curatione ac sanatione: nam quando libet ei curare, habet infinitatem bonorum Angelorum ad præstandum sibi illud officij, qui omnes comprehunduntur sub Dominio Archangeli Raphaëlis, qui ob hanc causam nomen obtinet, quasi Medicina Dei.

Apocal. 7.

Aba. 3. 3. Psalm. 19.

Iob. 1.

Iob. 6.

1. Chron. 21.

2. Chron. 32. 21.

Exod. 9. Exod 11. 5. Exod. 12. 13.

Concludendum mihi est igitur, quòd, prout unicus actus Dei est, tam sauciare, quàm curare, sic ordinavit instrumenta seu organa ad inserviendum sibi in executione ambarum hujusmodi Operationum, quæ usque adeò sibi invicem contrariantur, ut Lux tenebris & bonum malo. Iam verò solum & unicum Dei actum esse tam curare per organa sua salutaria, quàm percutere ac vulnerare per organa sua destructoria, docemur ex varijs sacræ scripturæ locis. Si plagâ afficiet Iehova Ægyptum, qui plagis affecit, sanat, cum conversi fuerint ad Iehovam: attamen David confitetur,

tetur, illum afflixiſſe eos per malos Angelos: Et Iob ait: Deus eſt, qui vulnerat & medetur, percutit & ſanat, & tamen erat Satan, qui manus erat Domini ad actuandam & exacerbandam miſeriam Iobi. Et alibi: Ego occidam & vivere faciam, percutiam & ſanabo, & non eſt, qui de manu mea poſſit eruere. Et Salomon: Tu vitæ ac mortis poteſtatem habes, deducis ad portas inferni ac reducis, & manum tuam nihil poteſt effugere. Quibus liquet, eſſe Deum Solum, qui vel miraculoſè vel virtute & adminiculo creaturarum ſuarum, quæ inſtituit ad hoc vel illud intentum ſalutiferum; qui curat & vulnerat, iterum medijs organicorum ſuorum miniſtrorum, ſive ſint illi Angelici ſive humani. Exempli gratia: Facit Angelum ſuum Raphaëlem, in uſum adhibere piſcis hepar ac fel, ad fugandum Dæmonem deſtructorem & ad curandum Tobiam cæcum. Similiter Angelus dabat medendi vim lacui Betheſdæ. Atque iterum, inquit Pſalmiſta, plaga non appropinquabit tentorium tuum: nam Angelis ſuis præcipiet de te. Sed, quòd ex ulla authoritate Textus ſacri, in uſum adhibuerit Satanam, aut ullum ejus Tenebroſorum Angelorum, ad complendum & præſtandum ullum ejuſmodi actum lucis, aut ad uſurpandam ullam Dei creaturam, ut ſunt pinguedo, ſanguis, caro in curatione vulneratæ creaturæ, ſi poſſim reperire in ſcripturis, ego aliquo modo fidem dabo: Sed, quia hoc inferret M. Foſtero prolixam minis inquiſitionem, & iterum, quia invenio loca ſcripturæ præcedentia generaliter ei contrariari, concludo, myſticam per unguentum armarium curationem, beneficum Dei donum ſolummodò eſſe. Quare ipſi Soli omnimodè; nec Diabolo ulli, tribuatur omnis virtus, potentia ac gloria pro beneficentia ejus in genere & particulariter pro hac virtute, ac proprietate per Vnguentum armarium medendi, in ſecula ſeculorum, Amen: Benedictus, inquam cum Propheta David Dominus Deus Iſraëlis, qui Solus operatur miracula omnia, ac proinde efficit mirificum hunc curandi modum, qui captum ſuperat humanum: illi igitur tribuatur pro eo, Solus honor ac gloria in ſecula ſeculorum.

Iob.5. Deuter.32. Sap.16.13. Pſal.91. Pſal.71.

CAPVT. III.

Quomodo abſtruſa quadam inquiſitione facta in myſteria Philoſophiæ ſacræ, quæſtio propoſita de licito vel illicito Vnguenti armarij uſu reſolvitur, & ſpongia Foſteriana probé exprimitur atque extorquetur.

IN præcedenti hoc capite probavi Theologicé, idque puris ſcripturæ exemplis, diabolum fuiſſe ſpirituale organum, ordinatum ac conſtitutum à Deo in creatione ad ſcopum, curatorio illi prorſus contrarium & oppoſitum: Quapropter vix eſt veriſimile illum, jam in fine dierum, poſt tot deſtructiones commiſſas ac deſignatas ab ipſo in ætate ejus præterita poſſe evadere in Salvatorem & ſanatorem morborum.

Iam verò dilucidius expediam ac confirmabo, idque per Philoſophiam ſacram, Dei vivificantem ſpiritum, moventem in aëreo mundi organo, virtuoſa ſua applicatione, aut ſuo ad Vnguentum armarium aſpectu perficere curationem Vulneratorum: Et hunc probandi modum appello Theophiloſophicum vel ſpectantem ad ſacram Philoſophiam, quid reſpicit naturam hujus curandi modi, prout recipit eſſentialem ſuum actum & eſſe à Deo movente & agente in & per creata ſpiritualia organa, in & ſuper omnia: De hac ſpecie Philoſophiæ D. Paulus loquitur in hunc modum. Videte, nequis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum Elementa mundi, non ſecundum Chriſtum Ieſum, quia in ipſo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis. Quibus verbis videtur Philoſophiam Ethnicam nuncupare vanam at deceptoriam, quatenus effecta eſt ſecundum rudimenta hujus mundi, quæ conſtituunt complura eſſentialia ſubalterna agentia actuantia & operantia ab ſoluté & ſimpliciter ex ſemetipſis, ſine ulla conſideratione ad Catholicam & ſupremam poteſtatem Dei Patris omnium, à quo radicaliter omnes eſſentiales procedunt actiones, quæ poſtmodùm producuntur per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem omnia habent exiſtentiam ſuam, nec verò ab ullo ſubalternato agente ſeu creatura efficiente: Nam licet inſerviant ad inſtar miniſtrorum organicorum, tamen mortua ſunt tantùm, niſi Deus appareat & operetur in ijs per ſpiritū ſuum: ac proinde omnis actus & operatio attribuitur Deo, ut probatum eſt anteà per Apoſtolum dicentem: Vnus Deus operatur omnia in omnibus; atque iterum inquit: licét ſint, qui dicuntur Dij in cœlo & in terra, tamen nobis eſt unus tantummodò Deus, qui eſt Pater, à quo omnia & nos in ipſo: & unus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem ſunt omnia & nos per ipſum: atque hanc ob cauſam Deus appellatur Alpha & Omega, prin-

Coloſ.2.9. 1.Cor.12. 1.Cor.8. Apoc.1.

ga, principium ac finis, nimirum, prout in semetipso omnia decernit, & per verbum suum essentialiter operatur atque efficit omnia, idque immediatè. Iam verò hunc ipsum spiritum esse in omnibus, Sapiens innuit expressè, inquiens: incorruptibilem Dei spiritum esse omnia in omnibus, & à spiritu oris Divini procedere virtutes omnium, ut Propheta David perhibet: Quod cùm ita sit, necessariò sequetur essentialem formam seu vitam cujuslibet creaturæ in hoc mundo, oportere dependere ex spiritu hoc, ac possidere centralemsuam activitatis sedem in proportione plus minusve, ab hoc agente agentium, quòd, ut agit in centro omnium rerum; sic etiam revera circumferētiæ contiguum est, ab Alpha seu Centro ad Omega, aut circumferentiam: nam alioqui foret divisio essentiæ divinæ, quod esset impossibile: atque hanc ob causam Deus dicitur implere omnia & operari omnia in omnibus: Quare Apostolus infert, ut antè, philosophiam Ethnicam effictam ex traditionibus & inventionibus humanæ sapientiæ, falsam esse ac deceptoriam; eam verò quæ super solum Christum fundatur, amplectendam esse solam, quia in ipso habitat plenitudo divinitatis, quia operatur omnia in omnibus juxta voluntatem ac decretum Patris sui, qui caput est Potestatum ac Principalitatum, ac consequenter omnium Angelorum: itaque Angeli nihil possunt operari, nisi prout ipse agit in ipsis & per ipsos, tanquam organa sua spiritualia. Ecce igitur Theosophicum illud subjectum, per quod strictè inquiro in mysterium hujus curandi modi per Vnguentum armarium: & hæc quidem sufficiant loco præambuli ad discursum nostrum. Veniamus ad rem ipsam.

Sap.2.1. Psalm.33.6.

Observemus necesse est in curatione præstita per Vnguentum hoc armarium, tria principalia, nimirum Vulneratum, sanationem seu curationem Vnguenti, ac denique occultam activitatem, quæ dominatur in sanguine & procedit à sanguine ad Vnguentum.

Vulneratus haud immerito nec incommodè comparari potest mundo, ac eam ob causam vocatur mundus minor: componitur ex cœlo & terra, nimirum ex spiritu & corpore: & quemadmodum Creator emittebat spiritum suum, qui movebatur super aquas, atque informabat, animabat & vivificabat eas; ita, ut ex ijs (ut D. Petrus habet) & per eas cœlum & terra fuerit formata & per spirituale verbum hoc stabilitum ad hunc usque diem. Simili prorsus modo cœlum & terra hominis, formata est per eundem æternum spiritum vitæ, super quo quiescit, ac durat in speciali sua successione ad hunc ipsum diem usque. Quare dicitur: ex una eademque spirituali petra effecti estis, & quòd in ipso vivimus, movemur & sumus, & quòd simus Templa Spiritus Sancti ac membra Christi: &, quòd simus in Deo Patre & per Dominum nostrum Iesum Christum, ut citatum antè: &, quòd regnum Dei sit intra nos: nec etiam ascribamus hanc Dei beneficentiam nobisinet ipsis, siquidem præter hæc extendit se ad creaturā quamlibet, licet non tam abundanter: Nam, in verbo erat vita: & Iudith inquit in oratione sua: Serviat Deo omnis creatura, quia dixisti, & factæ sunt, misisti spiritum tuum, & creatæ sunt. Et Propheta inquit: Hæc dicit Deus creans cœlos, extendens eos, firmans terram, & quæ germinant in ea, dans flatum populo, qui est supra eam & spiritum calcantibus eam. Et Rex David: Deo dante creaturis colligunt; abscondente faciem suam, perturbantur; recipiente spiritum eorum, expirant; emittente spiritum suum, reercantur. Et Iob: Hominem constituit Deus super terram, apponens ad eam animam suam; si spiritum seu flatum ejus ad se reciperet, deficeret atque expiraret omnis caro, simul & homo in cineres reverteretur. Hisce omnibus testimonijs docemus, vitam, formam ac naturam cujuslibet creaturæ essentialiter oriri ac procedere à Deo: ac ob id quodcumque donum curationis deprehenditur procedere vel ex compositis & simplicibus medicinis, sive sint illæ angelicæ, cœlestes vel elementales; vel ex animali, vegetabili seu minerali compositione, procedit à Creatore ipsorum, ut vel impertitum ipsis in creatione sui ad hoc salutiferum intentum; vel alioqui miraculosè ac præter communem naturæ legem à natura condonatum quibusdam creaturis ad agendum, ac proinde non præposterè damnare aut reijcere medicinam fas est, quia operatur modo ab alijs diverso: Deus enim largitus est ac concessit quibusdam medicinis occultas & abditas proprietates, ac ob eam causam non operantur illæ per externam ac manifestam qualitatem Elementarem: Atque hæc occulta vis, apud quosdam vocatur Angelicus actus, qui est tanquam inter Deum & naturam virtus media, à qua fiunt operationes in rebus, quas natura earum vel non faceret, vel sic faceret, quas alij dicunt provenire à proprietate occulta atque alij, quia tales. Ac talis, quidem erat effectus curandi per aquam paludis Bethesdæ; non quidem, quòd manifesta Elementaris qualitas aquæ illud efficeret, sed actus Angeli aquam commoventis. Consimili modo non potest ullus rationem aliquam naturalem exprimere manifestam, pro attractione ferri per Magnetem, vel paleæ per Caraben, vel cur Magnes Septentrionem respiciat, vèl, cur Laurus arbor præservet à nocumento fulguris & tonitru, & similiter, quam rectâ lineâ hæc curatio perficiatur &c: Causæ horum latēt & occultæ sunt vulgaribus Philosophis, sed, ut paulò propinquius ad rem accedam.

1.Cor.8. Luc.17.21. Ioh.1. Iudith.16. Esai.42.5. Psalm.104. Iob.34.13. Reuclin. de arte Cabal.

Esai.51. Act.17. 1.Cor.3.

Pater

Sap. 1. Patet igitur, incorruptibilem ſpiritum eſſe in omnibus, ſed exuberanter admodum (proximè à macrocoſmo) in microcoſmo, nimirum homine: Nam, ut Deus dicitur verè ex D. Hieronimi traſlatione (mittendo depravationem aliorum) poſuiſſe tabernaculum ſuum in ſole, unde per perpetuam & nunquam interituram motionem emittit vitam & multiplicationem cujvis membro ac creaturæ majoris mundi & per Spiritus ſui agilitatem: Nam Sap. 7. Salomon inquit: Eſt omni re mobilior: Eccleſ. 1. Movet ac vitam præbet toti Spiritui mundano, quod idem etiam ſapiens teſtatur in hiſce verbis: Sol gyrans à meridie flectitur ad Aquilonem, luſtrans univerſa, in circuitu pergit ſpiritus. Quibus arguit, Spiritum in ſole animare ac præbere motum, vitam ac Spiritum, Spiritui aëreo totius mundi: Nam ſine aſſidua ejus motione & actione, ut Ariſtoteles & omnes alij Philoſophi confitentur, aër citò corrumperetur, & tanquam mortuus videretur & nullius omnino efficaciæ. Pro ratione hujus Textus ſacer concludit, ſpiritum Diſciplinæ Sanctum implere totum mundum: Sic etiam pari modo idem incorruptibilis Spiritus implet Microcoſmum (eſt enim templum Spiritus Sancti) 1. Tim. 6. ac Tabernaculum ſuum poſuit in corde hominis, in quo movetur, pro ut in hoc Macrocoſmico ſole, in ſyſtole & Diaſtole, nimirum contractione & dilatatione, indeſinenter diſpergendo radios vitæ ſuæ per totam hominis figuram, ad illuminandum, præbendam vitam ac circularem motionem Spiritui ejus: Ac ob id Apoſtolus reciprocè loquens de hoc minori mundo, ut alibi de majori illo: in Deo, inquit, vivimus, movemur & ſumus: Prout etiam abſtruſus ille ſpiritus dat calorem per activitatem ſuam & eſſentialem motionem majori mundo & omnibus reliquis, cùm non quieſcant aut in ſe deliteſcant, ut paulò poſt explicabitur. Hoc itaque bene conſiderato, inprimis, procedo in hunc modum.

Quemadmodum hic Principalis & centralis motor in utriuſque mundi ſpiritu radicaliter agit ac eſſentialiter movet in & ſuper omnia, à Centro videlicet verſus circumferentiam; primum ejus mobile in majori mundo eſt principalis regio Ætherea, ſeu ſphæra, cujus revolutione ſol (qui, ut David habet, eſt vas gloriâ Dei plenum) movetur circa terram intra horas 24. ut inde totus mundi Spiritus recreatur vita, vegetatione ac multiplicatione. Ac proinde prima ac nobiliſſima hujus ſpiritus ſphæra, in qua movetur centraliter, eſt quinteſſentialis ſeu Æthereus vitæ ſpiritus, immediatum ſcilicet incorruptibilis illius vitæ ſpiritus vehiculum, fertur in groſſiorem Elementarem ſeu ſublunarem aërem, quo medio penetrat in corpora animalia, vegetabilia ac mineralia inſpiratione ſeu expiratione, in animalibus partim occultâ, ut per corporis poros; ac partim manifeſtâ, ut per pulmones; & in vegetabilibus ac mineralibus occultè, ita ut non, niſi oculis mentalibus percipiatur: Atque ita largitur & impertit vitam ac multiplicationem cuilibet rei: Vt hæc emanatio procedebat à Deo in mundum. Propheta inquit: Veſtitur lumine quaſi veſtimento: Atque ita Verbo Domini facti ſunt cœli, & Spiritu ab ore ejus omnis virtus eorum, inter quas virtutes, vita, forma, vegetatio ac multiplicatio erant præcipua: Vt in poſſeſſionem ſibi capiebat cœlum Æthereum ſeu ſtellatum; idem inquit Propheta: Poſuit Tabernaculum ſuum in ſole: Iterum, ut groſſius ex aëre veſtimentum induebat, ſic Propheta ait: Denſa nubes Tugurium ejus, qui vehitur ſuper alas venti: Iterum in tonitru loquebatur, & fulgur è naribus emicabat: Vt intrabat in minorem mundum ſeu hominem, ſic Apoſtolus inquit: Vos eſtis Templum Spiritus Sancti, vos eſtis membra Chriſti.

Pſalm. 104 2. Pſalm 33,6. Pſalm. 18. Pſalm. 104. 2. Reg. 22.

Atque iterum: Aperiatur terra, & pariet Salvatorem; ut penetrabat in terram, ſic ſapiens inquit: Spiritus ſapientiæ implet orbem terrarum. Denique, ut ad creandum, vivificandum & ſuſtinendum quamlibet creaturam, induebat omnia; ſic inquit: Spiritus incorruptibilis ineſt omnibus, atque iterum: Spiritus Dei implet omnia: Quibus patet, ſpiritum divinum hunc, ac incorruptibilem, per quem vivimus, movemur & ſumus, eſſe in homine, nam ſine illo mortuus eſt, bulla aliqua, vel nihil, quare locus ejus, in quo movetur eſt æther noſter ſeu Spiritus cœleſtis, qui inviſibiliter agit in vehiculo noſtro aëreo, cujus groſſior ac ſpiſſior pars eſt ſanguis tam vitalis & arterialis, quàm naturalis & venalis.

Eſai. 45. 8. Sap. 1. Sap. 12.

Hinc ſtatuta illa ſpecifica ſeu præcepta legalia à Deo tradita, de ſanguine non modò hominis, ſed etiam beſtiæ: Nam, quatenus erat ſedes ſpiritus vitæ; ſanguinem (inquit Deus) ſedem animatum veſtrarum requiram: & iterum; ſanguinem hominis qui effuderit, per hominem ſanguis ejus effundatur, quoniam in imaginem ſuam Deus fecit hominem: Quibus elicitur, ratione Spiritus divini, habitantis in ſanguine humano, per quem efformati ſumus ad imaginem Dei, ipſum Deum edictum ſpicificum dediſſe, ut reſpectum habeamus ad ſanguinem: Hanc ob cauſam ergo vox ſanguinis Abelis exclamabat in vindictam adverſus homicidam Cainum: Imò quidem tam erat pretioſus ſanguis, vel communium animalium ſeu creaturarum irrationalium, ut ſanguis eorum interdiceretur comedi cum eorum

Gen. 9. Gen. 9. Levit. 3. Levit. 17.

rum carnibus. Atque iterum : Qui comedit ſanguinem creaturæ morte morietur: & alibi rationem oſtendit: Qui comederit ſanguinem, obfirmabo faciem meam adverſus animam illius, quia anima carnis in ſanguine eſt, & ego dedi illam vobis, ut ſuper altare in eo expietis pro animabus veſtris, & ſanguis pro animæ piaculo
Levit.17. ſit.

Atque hanc ob cauſam homini à Deo
Levit.17. mandatur; ut, ſi in venatione vel ſecus, occidat feram, effundat ſanguinem ejus ſuper terram : & iterum, ſanguinem omnis animalis non ſumetis in cibo. Item.
Chron.9. Sanguis cum carne non edendus.
Chron.9. Sanguis hominis etiam à beſtia requiritur.
Levit.3. Sanguinem & adipem omnino non comedetis.
Levit.17.19. Sanguinem non comedat omnis anima ex
Deut. 12. vobis.
Sanguis animalium pro anima eſt mini-
Deut.15. mè comedendus.

Sanguinem omnis animalis, tam mundi, quàm immundi, non comedes, ſed effundas ſuper terram, quaſi aquam.

Atque ratio eſt, quia ſanguis eſt animæ aut vitalis ſpiritus ſedes, qui à Deo inſpiratur: Ac proinde dicitur.
Chron.9.5. Sanguinem ſedem animarum veſtrarum requiram : Quatenus eſt ſedes vitæ acanimæ veſtræ : Ac ſi diceret, animavi internum ſpiritum ſanguinis veſtri ſpiritu meo vitæ : Quare curam ejus gerite.

Ex omnibus hiſce locis facillimé diſcernere licet, quomodò vitalis hominis ſpiritus; non ſolùm hominis, ſed etiam beſtiæ contineatur in rubicundo illo vehiculo ſanguinis, ut Æthereus ſpiritus in aëreo illo; & eſſentialem motorem ſeu rectorem clavi in cymba hac hominis ſpirituali, eſſe
Tim.12. incorruptibilem Dei ſpiritum, par quem vivimus, movemur & ſumus. Totum hoc Mercurius Triſmegiſtus divinus ille Philoſophus videtur confirmare hiſce verbis : Anima hominis in hunc vehitur modum; mens in anima (anima in ſpiritu; ſpiritus in corpore; ſpiritus per venas arterias ſanguinemque diffuſus animal undique ciet.

Hiſce igitur evidenter confirmatis ex ſacra pagina, jam ad majus myſterium progrediemur, quoad duplicatam hujus vitæ Spiritus, in mundo utroque proprietatem, ut inde demonſtrativè ſenſim ad ipſiſſimum punctum ſeu perfectiſſimam reſolutionem quæſtionis præpoſitæ deveniamus.

Æternus Dominus Deus (qui totus eſt unus idemque ſpiritus ob indiviſibilem eſſentiam) eſt ipſe, qui creaturas vivificat, & viciſſim vitam ab ijs aufert juxta placitum ſuum : Vt jam antea probatum eſt, ac ob id operatur omnia in omnibus, juxta Apoſtoli verba : Nec mireris verò, licet dicam, eum effectus operari contrarios, quàmvis ſit tantummodò una indiviſibilis eſſentia : Hæc enim Salomonis verba ſunt: Spiritus diſciplinæ Sanctus, eſt unicus ſeu Sap. 7.
ſimplex; multiplex tamen &c : Simplex in ſemet ipſo, ſed multiplex in operatione: Et nunquid David tantum agnoſcit, inquiens : Deo emittente Spiritum ſuum, recreantur creaturæ ; abſcondente faciem ſuam conturbantur; recipiente ſpiritum eorum, expiranter &c : Quod ad proximum hujus axiomatis Davidis membrum attinet, alibi in hunc probat modum : Vita ad Pſalm.104.
eſt benevolentiâ Iehovæ : Vitæ reſtaurator Pſalm.30, Pſalm.41.3.
eſt Iehova : Vitæ meæ fontes omnes à Iſalm.87.7.
Deo : Vitæ prolongatio eſt benignitas Ie- Iſalm.90.17.
hovæ. Ex quibus evidens eſt, Dei ſpiritum eſſe immediatum Creatorem, actorem, præſervatorem & vitæ multiplicatorem.

Quod ad ſecundum membrum attinet, Deut.3.17.
tantum proferemus : Deus malos reliquit, & abſcondit faciem ſuam ab impijs, ut obveniant ijs mala & auguſtiæ multæ : Sic increpare ſolet mortales in lectulo, ut Iob habet : In hunc modum tribulationes Æ- Exod 9.
gyptijs immittebat : Hoc modo faciebat Ieroboami manum marceſcere; Sic leprâ 2.Reg.4.
percutiebat Miriam Aronis ſororem : Sic Num.12.
Hæmorroidibus affligebat Aſhdedomanos ; Sic Ezekiæ epidemiam inferebat; 1.Samuel.6.
nimirum occultando aut retinendo Spi- 2.Reg.20.
ritum ſuum : Atque iterum emittendo radios vitæ, ſanabat eum. At proinde David : vita hominis, inquit ſpacium eſt miſerum abſque benignitate Iehovæ : Nam, qui ægrotat ſemper expirare videtur.

Iam devenio ad ultimam clauſulam prædicti Textus Davidici : Deus dice- Gen.6.3.
bat, cum perciperet malignitatem ho- Gen.34.13.
minis : Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt, eruntque dies illius centum & viginti annorum.

Et Iob inquit, ut anté : Hominem Deus conſtituit ſuper terram, apponens ad Iob.5.
eum animam ſuam, ſi Spiritum vel flatum ejus ad ſe reciperet, vel traheret, deficeret & expiraret omnis caro, ſimul & homo in cinerem reverterertur. Atque iterum : Spiritus Dei fecit me & inſpiratio omnipotentis vivificavit me.

Ob hanc ergo rationem antedicta Davidis actio erit Principale fundamentum, ſuper quo quieſcam ac fundabor tam in probationibus meis, quàm in demonſtrando varias proprietates divinæ hujus ac in corruptibilis eſſentiæ, in utroque mundi ſpiritu; & vobis evidenter enucleabo ac probatum dabo, quòd, ut ſpiritus operatur majori in mundo, ſic etiam quovis reſpectu producit effectus conſimiles in minori illo.

Deprehendimus eſſe ſolummodò unum ſpiritū in macrocoſmo, licèt in proprietate con-

contraria, bifariam quatuor ventos animantem à quatuor terræ angulis emissos, ad flatus excitandos; atque hoc ita probo: Deus edit glaciem flatu suo, flante Deo concrescit gelu, & coarctatur superficies aquarum. Psal. 147. Et Propheta regius magis ad rem; Deo emittente sermonem suum, inquit, in terram, quàm celerrimè excurrit verbum: Qui nives dispergit sicut lanam, & pruinam quasi cineres, dejicit gelu suum tanquam frusta, coram frigore ejus quis consistat? Emittit verbum suum, liquefacit ista, simul ac efflat ventum suum, effluunt aquæ. Hinc liquet, Divinum spiritum essentialem esse actorem in flatu septentrionali, qui inimicus est actui vitæ: Nam, quemadmodum Deus emittebat lucis suæ radios ab infinito fonte essentiæ suæ, ad arcendum frigus per dilatationem spirituum & ad producendam calidam humiditatem in spiritu mundano, ut inde inactuaret eam vitâ ac motu, & ut faceret spiritus istos fluidos & activos, qui prius congelati erant per potentiam contractivæ ejus proprietatis, quæ alteri oppositæ est: Sic vicissim per agens privativum vel Boreale suum attributum ac proprietatem, quæ frigida est, contrahit spiritus dilatatos, faciens eos ex mobilibus fixos, ex lucidis ac transparentibus tenebrosos & opacos; ex vivis spiritibus substantias vitæ expertes; ex liquidis ac fluidis, immobiles & congelatos, & tandem motus convertitur in quietam, actus in potentiam, positio in privationem. Sed è diverso, cùm revivificare ei animus est, quasi efficere, ut emortui spiritus mundi exurgant & reviviscant, emittit australem spiritum seu flatum contrariæ omnino proprietatis, nimirum ventum, cujus natura est calida humida: Ac proinde in conclusione Textus prædicti dictum est: Emittit verbum suum & liquefacit hæc omnia: Vbi primùm efflat ventũ suũ, aquæ & spiritus, qui emortui erant, spissi, fixi, congelati & opaci vivificantur, fiuntque mobiles, fluidi, subtiles, Diaphani seu transparentes.

Quòd si M. Fostero nullum horum arridet testimoniorum, paulò ulterius progrediar, ocularem reddens ad illud probandum demonstrationem, ut inde eò faciliùs ipsi persuadeam, si velit esse tractabilis experientiæ, quæ Mater fatuorum est: Introspiciat tantummodò vitrum Calendarium (instrumentum in vulgus Anglicum motum, ab alijs dictum, vitrum aëreum) & videbit, aërem inibi contentum contrahi ac inspissari frigore: & ad probandum hoc, comperiet, aquam sursum trahi per tot gradus in vitri collo, quàm frigus externum dominatur in aëre: Quod evidenter probat, frigus contrahere aërem dilatatum, in vitro ab ampliori spatio in augustius; & per consequens aërem spissiorem esse, & congelationi, fixationi ac quieti viciniorem, quàm erat anteà: E contra deprehendet, aërem inclusum, sentientem calorem aëris externi, paulatim Dominium acquirere super frigus, semet ipsum dilaturum, & dilatatione factum esse mobiliorem, subtiliorem ac vivaciorem; ac proinde requirere ampliorem capacitatem, ut ocularitèr probatur in hunc modum; nimirum quia aqua deorsum depulsa ad tot gradus inferius, ad quot externus calor vincit frigus in aëre: Sed forsitan Antagonista noster dicet; quid nobis cum hac re negotij? Naturales hæ sunt conclusiones, non pertinentes ad actum seu proprietatem Dei: & quomodò verò probas, reliquos ventos esse actus Dei essentiales? Ad hoc replico, quòd, si Deus operetur omnia in omnibus, tunc hæc in vitro operatio, multò magis illa in ventis sit actus Dei: Vt invenimus, spiritum incorruptibilem movere ac operari duplici viâ contrariâ, nimirum à centro ad circumferentiam per emanationem ac dilatationem, quibus medijs movetur à semet ipso, qui centrum est omnium, cujus circumferentia est nullibi; sed comprehendit omnes circumferentias ac corpora, facitque ea existere ac vivere: Sic etiam centrum hoc universale, contrahens se in semet ipso, facit omnia in actu potentialia, ex creatura viva cadaver emortuum, ex re agili & mobili stupidam ac immobilem: Denique ex actuali aliquo positivo potentiale privativum nihilum: Planè illud perfici cernimus (juxta præcedentem Textum Davidis in Spiritu mundi, quatenus alteratur ab una forma in oppositam pro varietate proprietatis seu voluntatis ejus, quæ est agens internum mundi: Incorruptibilis Dei Spiritus (inquit Salomon) est in omnibus; si in omnibus, tunc pro ut est dignissimus & maximè mobilis & operativus omnium Spirituum, operatur centraliter, movetque omnes rotas externas totius creaturæ machinæ, in qua est; & per consequens operatur à centro ad circumferentiam: Si quiescat in centro, omnes rotæ externæ perdiderunt vitam suam: Nam in ipso vivit, in ipso movet, in ipso existit: Ac proinde, nisi ipse agat, omnia stupida & emortua sunt ad instar saxorum mutorum, ut David & Iob docuerunt nos: Iam verò ut probemus, esse hunc Spiritum Dei, qui agitat & animat ventos, habemus complures alios Textus scripturæ expressos ad confirmandum illud: Turbo (inquit Iob) ex Austro venit, & frigus ex Borea: à spiritu Dei datur gelu & spiritus aquarum contrahitur: Atque iterum; ventus profectus à Iehova abreptas coturnices à mari dissevit ad castra. Iterum: Vento tuo flavisti, & operuit eas mare: iterum, flatu narium tuarum coacervatæ sunt aquæ. Et iterum: Iehova adduxit ventum Eurum seu orientalem. Iterum: ventum occidentalem ve-

Sap. 12. 1.
Iob. 36. 9.
Num. 11.
Exod. 15. 10.
Exod. 18. 8.
Exod. 10.
Exod. 10.

Psalm.144. hementem immisit &c : Iterum : Ventus procellosus efficiens verbum Dei. Non dicimus, ventum esse realem Dei Spiritum, sed creatum spiritum seu aërem, animatum per increatum Domini spiritum, qui pro ejus voluntate, qui emittebat illum quandoque contrahit virtutem suam in se à circumferentia Spiritus creaturæ, ac tum creatura emortua est, immobilis & rigida ob defectum calidi ac fœcundi actus emanationis hujus spiritus, à centro ad circumferentiam, juxta verborum Davidis Textum præcedentem : Deo abscondente faciem suam à creaturis, conturbantur; recipiente spiritum earum, expirant, hoc est, si partim contrahat se ipsum aut abscondat radios vivificos vultus sui, ægrotant ac conturbantur; sed, si tollat omnimodé vitæ spiritum à circumferentia Spiritus creaturæ in se, qui in centro est & ubique ad circumferentiam, moriuntur atque expirant.

M. Fosterus forsitan replicuerit, quid hæc omnia ad hominem, qui est præcipuum subjectum, quod pertractandum suscepimus; aut quid ad me, licet Deus spiritu suo operetur privativam proprietatem in spiritu mundano per congelationem, vel contrahendo illum à spiritus circumferentia ad centrum, relinquendo spiritum gelidum, calore destitutum, congelatum, immobilem, & quasi mortuum vel sine vita idque in septentrionali hac natura ? Quid hoc ad rem nostram? Aut quid hoc ad hominis naturam ? Aut quomodò potest tangere actum curandi in unguento nostro armario ?.

Respondeo, quòd, ut ille ipse spiritus causa est naturæ quadruplicis in spiritu Macrocosmi, & ut causat mortem ac privationem per flatum suum septentrionalem & congelantem; & è diverso vitam ac positionem per oppositam aut relentescentem hujus meridionalis proprietatis naturam ? Eandem operationem præstat in creato spiritu microcosmi seu hominis : Nam idem ille spiritus, qui vivificat aërem in majori mundo quadrifariam, producit eosdem effectus in mundo minori, quod hunc in modum probo.

Ezekiel.37.9. Propheta ait : à quatuor ventis veni ô Spiritus & in suffla interfectos istos, ut reviviscant : & Spiritus revertebatur in ipsos & vivebant, stabantque pedibus.

Ex quibus verbis colligere licet hæc quatuor : Primùm fuisse unicum solum Spiritum, qui præditus erat proprietate quatuor ventorum, juxta cujus varietatem in proprietatibus, quatuor venti animabantur naturis contrarijs, ut operarentur quadrifariam in Elemento mundi Catholico, ad voluntatem Creatoris modo quolibet perficiendam. Prætereà hic spiritus, qui est actor essentialis ac motor in ventis erat incorruptibilis Domini Spiritus, per quem solebat (juxta illud Apostoli) vivificare omnia; &, juxta illud Prophetæ, dare flatum populo, & Spiritum calcantibus terram : Vel, juxta illud Iudithæ, emittere spiritum & creare omnes creaturas; vel juxta illud Esdræ, spiramine suo facere omnia & scrutinare omnia in absconditis terræ; vel, juxta illud Iobi, apponere homini animam suam & cuj libet caeaturæ : Nam si spiritum seu flatum suum ad se reciperet vel traheret, omnis caro expiraret. Ac propterea in hoc loco, cùm cadavera illa resurgere vellet, mandabat Prophetæ, ut diceret: Veni spiritus à quatuor ventis : Ac si dixisset; veni ô Catholice ac universalis spiritus vitæ mundi & præsta officium tuum in revivificando atque animando hosce mortuos. Tertiò, hunc ipsum esse spiritum, per quem Apostolus agnoscit, Deum operari omnia in omnibus; quandoque vitam dando, tollendo frigus septentrionale, Mortificans, ac dissolvendo lethalem seu immobilem spirituum congelationem, quæ stupefaciebat eos, quasi somnifera ac tranquilla incantatione Morphæi, per proprietates meridionales seu orientales; Quod est liquefacere, resolvere, ac novam dare motionem & vitam congelatis ac stupefactis spiritibus, per proprietates septentrionales : Ac proinde David asserit in Textu prædicto : Emittit verbum ac liquefacit ilta, simul ac efflat ventum suum, effluunt aquæ. Ex quibus nos observare convenit, esse verbum Dei, seu incorruptibilem ejus spiritum, qui animat ventos. Quartò, eundem spiritum, qui vivificat ac vitam præbet ac motum spiritui macrocosmico, & juxta placitum suum proprietate contraria enecat, stupefacit ac cessat agere per vitam & motum lethaliter congelando, præstare illud ipsum officium, cùm voluntas Patris est in Catholico Spiritu microcosmi seu hominis; imò in quavis creatura. Quare Iob dicit : Deus est, qui vulnerat seu percutit, & ipse est, qui sanat : Hujus rationem ostendit in loco anteà citato, ut etiam invenire possumus in Deuteronomio : Occidam & revivificabo. Et Salomon : Habes potestatem vitæ & mortis in manu tua, deducis ad sepulchrum ac reducis. Et Syracides : Vita & mors, bonum & malum à Deo sunt. Quapropter, quemadmodum secretus hic ac mysticus spiritus inspiravit mortuis spiritum vitæ : Sic ille ipse spiritus seu flatus est essentialis naturæ, proprietati, & voluntati spiratoris, qui debebat vivificare per vegetationem & animationem, & non per Spiritum stupefacientem : Atque hinc erat, ut creati spiritus, qui antea erant congelati & enecti, jam vivaces reddantur & includantur externo corpori & vehiculo aëreo ac cruento, quod virtute & efficaIudith.16. I.Esdræ.16. Iob.34.2. I.Cor.12. Iob.5. Deut.32. Eccle.7.14.

7 Cor.

ficaciâ vivificantis hujus flatus ſpiritum ejus movebat in canalibus aut venis ac arterijs, animatis, virtute ſpiritus illius vitæ. Atque hæc eſt ratio, quòd Deus injungebat præcepta uſque adeò ſtricta de ſanguine creaturarum (ut dictum antè) nimirum, ne comederetur, ut ſuperiori loco allegatum: quia in eo eſt ſpiritus vitæ ſeu anima creaturæ, in qua eſt virtus ſpiritualis quatuor ventorum: Nam in hac actione vitæ, eandem exercet proprietatem in cordibus creaturarum ſeu minori mundo, pro ut facit in Sole cœleſti Macrocoſmi: Nam, ut Sol calet, operans rarefactione, & excitans ad motum, ac ob id revivificans & multiplicans tam in vegetatione, quàm generatione, granis, plantis & alijs rebus terræ animatis, effundens deorſum de deſuper vitæ radios & lucem in creaturas inferiores: ſic etiam incorruptibilis hic ſpiritus ſeu vitæ flatus, ſic homini infuſus eſt ſpiritualis microcoſmi Sol, qui cor conſtituit (quòd corpus Solis cœleſtis repræſentat) Tabernaculum ſuum, à quo per arterias ac venas emittit radios ac animat univerſum humanæ fabricæ ſpiritum, ſanguinemque reddit agilem, fluidum ac vividum, aſſiduè movens ac operans ad nutrimentum ac membrorum præſervationem, tam cum naturalibus, quàm cum vitalibus ſpiritibus, efficiens & corporalem & ſpiritualem vegetationem ac multiplicationem partium, in quolibet corpore ſpecifico.

Iam verò, ut hoc in loco tribus (quod ajunt) verbis; licèt aliquantum allateraliter M. Foſteri Ariſtotelicam determinatam activitatis ſphæram tangam, quam antiqui Philoſophi & ſcholaſtici uſque adeò voluerunt ac convolutarunt in externis ſuis phantaſijs, ſine ullo centrali reſpectu ad potentiam hanc veram & eſſentialem ſpiritus vivificantis ac vegetantis dilativam aut contractivam. Equidem ſcire vellem, an ullum mundanum Philoſophicum axioma poſſit concludere aut determinare principalem hunc quatuor ventorum ſpiritum, qui flat & ſpirat æquè in majore mundo, quam in minori; quando, ubi, quam procul & quo intervallo libuerit. Ac principio quidem exemplum dabo actionis ejus à quolibet vento in macrocoſmo, ac demonſtrabo vobis, quomodò imperet, portet ac dilatet ſpiritum creaturæ vegetabilis, Operationem vegetabilis creaturæ virtualem, nullatenus, niſi odore colligere poſſumus: ut exempli gratia Roſmarinus & ſaſſafras &c: emittunt ſpiritum ſuum in aërem in diſtantia proportionata plus minuſve juxta vivacitatem ſpiritus agentis, qui in eo eſt, & tamen nihilominus videmus, quod, ſi flatus venti cujuſdam vehementioris ob viam venit ſpiritui creaturæ emiſſo, vehementer dilatat à centro ſive planta ipſius & facit amplam admodùm activitatis ſphæram, idque majorem vel minorem pro venti potentia ac violentia: In promptu cauſa eſt & nimium vera eſt deprehenſa per eos, qui in mari peregrinantur prope Hiſpaniam: Nam, quando ventus eſt orientalis, diſcernere poſſunt aërem ad triginta Leucas à littore repletum ſuavi Roriſmarini odore. Simili modo in Gulana & Virginia eâdem vel majori diſtantia odorifera fragrantia radicis ſaſſafras cum alijs ſuaveolentibus lignis percipitur à navigatoribus in littoribus, idque nonnunquam, antequam ullam diſcernere poſſint terram. Quid igitur nos dicemus de illo ipſo ſpiritu, qui agit in microcoſmo ſeu homine, cùm inſenſibilis ejus ſpiritus aut emanatio tendit ſympatheticè ad homogeneum propriæ naturæ locum? Intelligo ad Vnguentum, in quo ipſa illa indiviſibilis natura vel in ſanguine adhæreus armis, vel quatenus jam penetravit arma, ſine illo externi ſanguinis ſigno immergitur? Anne credemus, poſſe illud emanatione ſua deportare ſecum in aëre ſpiritum vegetantis naturæ vulnerati, incluſum ſecretò ſali cuidam volatili, ad agendum in Vnguento ad revivificationem conſopitorum in Vnguento ſpirituum? Minimè verò, inquit M. Foſterus: Nam ligni ſaſſafras odoriferi ſpiritus, & ille Roriſmarini dignoſcuntur odore, atque ita flatus ſpiritus ejusmodi emanantis cum vehiculo volatili vegetationis percipi non poteſt. Egregium verò argumentum in Philoſopho externo ac ſenſibili, qui cum D. Thoma, nihil credere vult, niſi, quod tangat, odoretur ac guſtet: at verò emunctæ naris homines de facili colligere poſſunt, nihil eſſe, quod ſit externum & viſibile; quod prius non fuerit internum & inviſibile; nec reciprocè dici poteſt id, quod erat internum, eſſe externum: Nam infinitus numerus internarum & inviſibilium actionum præſtatur à Deo in conclavi naturæ, quod non cadit ſub ſphæram ſeu capacitatem ſenſualis vel naturalis hominis, ſed tantummodò fide credenda ſunt: atque hanc ob cauſam Apoſtolus inquit: Per fidem intelligimus, mundum verbo Dei ordinatum fuiſſe, ita ut viſibilia non facta fuerint ex apparentibus. Quibus evidenter probatur, omnia prius fuiſſe inviſibilia, antequam ſenſu diſcerni poſſent; ac per conſequens eſt proprietas externi ac carnalis hominis, nihil credere, niſi quod ſenſu deprehendat, ac dicere, quod, ſi ulla res ſenſui appareat, quæ antè non erat nota, ſit diabolica & non à Deo: eum prædictus Textus, reducendo ab inviſibilibus actionibus, omnia attribuat inviſibili per verbum ſenſui, non à Diabolo, ſed à Deo. Omnes itaque Philoſophi in hoc convenerunt, eſſe unum vitæ ſpiritum, qui ſolus operatur in corpore humano: Sed hic ſpiritus juxta diverſitatem officiorum diſtincto- Hebr. 11.

rum diversam sortitur appellationem, ac ob eam causam vocatur ab ijs in uno respectu rationalis, in altero concupiscibilis; ac in tertio irascibilis; aptus est illuminari, intelligere, quæ sunt supra se, infra, in & cum se: nam hac proprietate suâ seu facultate novit Deum supra se; Angelos, qui imprægnati sunt illo ipso, & quicquid comprehenditur in toto cœlorum circulo in fra se, talis est spiritualis ejus actus centralis emanationis, ratione potentis illius virtutis ei à Deo concessæ: Per secundum ac tertium inclinatur vel ad exoptandum & affectandum aliquid, vel ad evitandum & fugiendum ab eo, id est vel ad amandum vel odio habendum. Atque hac ejus proprietate exercet semetipsam in Sympathia & Antipathia eorum, quæ vel propria vel dissona sunt specificæ ejus naturæ, ac propterea in hoc officio suo valenter operatur in & circa hujus Vnguenti armarij effectus, si quidem ab hisce posterioribus duabus operationibus in illa omnis procedit affectio: Nam, ut à concupiscentia omne gaudium & spes procedit, quia natura naturâ suâ lætatur &c: ac proinde unione vividæ emanationis, mors seu spiritus congelatus in Vnguento vegetatur & vivificatur: sic é diverso anima vivens seu spiritus naturalis, in quo supernaturalis spiritus agit, ex propria sua natura obnoxius est, speciei spiritualis doloris ac timoris, ratione armorum, quæ Violentiam ipsi inferebant, ad quam spectant passiones, ac perficiuntur spiritu irascibili, quatenus vel dolet, vel jam doloros efficitur ex illata violentia, aut timet, ut doleat, aut fiat doloros exinde. Hæ quatuor spiritus humani affectiones, sunt initiatrices & quasi subjectum commune omnium actionum virtuosarum ac vitiosarum, quæ homini accidunt. Iam verò ut amplam extensionem centralis illius spiritus, qui radicaliter operatur in spiritibus vitalibus exprimam; sapientiores Philosophi asserunt, eum contueri se in semet ipso in eum finem, ut recté se intelligat in se ipso. Et quando Deum cognoscere vult, elevat se supra semet ipsum per radios suos mentales, penetrat omnia, contuetur omnia, tam præsentiâ, quàm absentiâ; quando libuerit versatur in locis ultramarinis, ac scrutatur nostra abdita; imò quidem vel in momento emittit ac dirigit radios ad remotiores totius mundi terminos & per scrutatur ejus secreta. Descendit in profundum, & inde ascendit iterum in cœlum & adhæret firmiter Christo, & unus efficitur cum Christo. An verò necesse est, ut virtus infinita hujus omnia penetrantis spiritus juxta M. Fosteri Dogma, determinetur ac limitetur ab ulla imaginaria activitatis sphæra, à vana Ethnicorum Philosophia assignata, quæ, ut habet Apostolus, effecta est ex hominum traditionibus & mundi & non Dei? Nonne monet is nos, ut caveamus nobis, ne istiusmodi doctrinâ philosophicâ decipiamur, quæ dissentit à regulis Christi, in quo est plenitudo Divinitatis corporaliter? Et an nobis, ad obediendum phantasticæ M. Fosteri ideæ, violandæ leges Apostoli, ut deludemur spuriâ ipsius philosophiâ? Sed, ut ad propositum nostrum revertamur.

Toto hoc supra allegato probé considerato, nimirum Catholicâ spiritus naturâ, quæ vitam creaturis inspirat, indivisibilitate & individualitate datoris, & dono, quod datum est: nam divina essentia est individua, ac proinde spiritus divinus impertitus est creaturæ continuus & indivisus ab eo, qui dat eum; infinitas ejus extensionis, quatenus nullis determinatur limitibus (& hanc ob causam dicitur: spiritus flat, ubi libet, idque sine obstaculo) quòd hic spiritus se ipsum convertere potest à vivida & activa potentia in potentialem, congelantem & lethalem proprietatem, in creatura, retrahendo radios suos actuales à circumferentia creaturæ, quò emittebat illos vividarum actionum causa in centrum, hoc est, in semetipsum, ubi (respectu creaturæ) quiescit, atque ita deprivat spiritum creaturæ per coagulationem, motione, actu & vita, quam indignabunda sua activitate impertiebat spiritibus naturalibus ad generandum sanguinem, pinguedinem, carnes & ossa. Hanc ob causam ergo, inquam, nimirum ob præsentiam spiritus hujus incorruptibilis in sanguine creaturæ, Deus prorsus interdicit Israëlitis comedere ex sanguine: quia (ut inquit Textus) vita carnis est in sanguine. Hic igitur observa, spiritum vitæ esse à Deo, qui omnia vivificat: vita sanguinis & pinguedo est in hoc spiritu & ex hoc spiritu. Quare scriptum extat alibi: Sanguinem & adipem omnino non comedetis: nã vita carnis est in sanguine, & vita òssium est in carne. Facile est igitur discernere, quæ concatenatio sit hic membrorum in successione, quæ derivant vitam suam ab una eademque radicali essentia seu spiritu & inde coguntur sympathizare cum una eademque harmonia in compositione creaturæ, siquidem ex uno sanguine creavit omne genus humanum, ut D. Paulus haud incommodé, & per consequens, cum omnis caro & ossa producta sint ex uno sanguine, necesse est, magna sit relatio inter illa & sanguinem humanum in genere, & consequenter inter sanguinem & unguentum, quod factum est ex ijs.

Levit. 17.

Levit. 3 & 17. 24.

His igitur probé instar infallibilium fundamentorum, consideratis & ponderatis, concludimus hoc modo: In proposita quæstione nobis hæc quinque objecta observanda sunt, nimirum primùm vulnus; secundò sanguis emanans è vulnere; tertiò modus conductionis & translationis ab unguento ad vulnus, ad ullum statum intervallum; Quartò unguenti natura, ac denique modus operãdi, quo curatio perficitur,

Primò

Primò igitur quod ad vulnus attinet, est illud violatio operis, quod spiritus vitæ efficiebat, nimirum sanguinis effusio, in quo vitæ spiritus fertur & movetur, impedimentum ac diversio cursus humorum naturalium, divisio ac solutio pinguedinis, carnis atque aliarum partium consimilium, ab integritate & continuitate sua, offendiculum & noxa pacifico illi vitæ actui, per Dei incorruptibilem spiritum producto, qui per hanc suam proprietatem seu attributum, aptus est ad vivificandum omnia. Hanc igitur ob causam radicalis hic agens spiritus interest huic negotio vel actui non naturali, ut inveniens opus suum impeditum & essentialem suam, actionem interturbatam per vulnus sive violentiam oblatam: nam, cùm sanguis sit ejus vehiculum, ejusque actus vivificus, instituebatur ad circulandum in sanguine organico, & ad producendam exinde transmutationem in carnem & alias partes vegetationis & multiplicationis & præservationis individui causa; jam idem sanguis effunditur ex ore vulneris & factus inutilis & nullius effectus; corpus (ad cujus animationem secretus hic spiritus perpetuò diligenter inclinatur) debilitatur & languore conficitur quo circa, ut incorruptibilis & vivificans natura, spiritum ejus humanum per vividam suam activitatem rectificare intendebat; sic Herclé parata & prompta est resistere omni violentiæ oblatæ, & corrigere ac restaurare, quicquid violenta causavit irruptio; similiter prudenti araneæ, quæ, quando tela ejus confecta est, & ex parte corrupta, omnem adhibet diligentiam, ut reducat eam ad pristinam ejus perfectionem.

Secundò, sanguis prout est vehiculum spiritus vitæ, licet é vulnere evacuetur; tamen retinet in se spiritum hunc vitæ, sed in alia proprietate: nam non agit jam ad vitam, id est, non radios suos emittit à centro ad circumferentiam ad producendam vitam, sed contra, ac si gravaretur & doleret violentiâ actus, contrahit semetipsum à circumferentia ad centrum, hoc est, ab actione in circumferentia creaturæ in se, postquam se in ejus centrum contraxerat, ubi quiescere videtur: atque ita relinquit vehiculum suum aërem, tanquam congelatum, stupefactum ac emortuum: atque hic revelatur mysterium hoc, nimirum ratio, cur homicida adductus coram occiso, spiritus centraliter in sanguine quiescens, miraculosé emanat & effluat, ac reddat sanguinem rursus fluidum, utpote incitatum ac motum à consimili spiritu Antipatheticè agens & actuans, à sanguine homicidæ: Nam, ut dixi anteà, hic spiritus in irascibili sua proprietate æque aptus est ad odio persequendum, quam in sua Gen. 9. concupiscibili ad amandum. Atque hanc ob causam nos Textus docet, sanguinem interfecti requiri non modò ab homine, sed etiam à bestia, si effusus sit per eam. Atque iterum sanguis ullius creaturæ non comedendus est: quod superficiale esset solummodò, nisi spiritus vitæ post effusionem sanguinis quiesceret in sanguine; pro ut etiam hæc ratio (quod sanguis animalium captorum in venatione aut aucupio debeat terræ inhumari) parum probaret validitatis & efficaciæ. Hanc ob causam alibi dicitur: sanguine in fontium commaculata terra expiari non potest, nisi per ejus sanguinem, qui alterius sanguinem fuderit. Finaliter, cur dicerctur, sanguinem esse sedem spiritus vitæ, nisi cum eo participaret, postquam è vulnere effusus est, congelatus & quasi mortuus, ac quiescceret in ejus centro? Quinimò hic spiritus prorsus ac omnimodè relinquit & dimittit sanguinem mortui, cùm vita ejus (ut dictum) sit in sanguine: nec tamen ipsa ossa, quatenus participant de natura partis carnis maximé terrestris: hinc evenit, quòd, cùm quidam latrones projecissent cadaver alicujus à se trucidati in sepulchrum Elisæi, interfectus solo contactu ossium Elisæi resurgebat, ad vitam, quod vix effici potuisset, nisi tam divina ejus, quam vivificans natura, participasset cum ossibus ejus: Et hinc est, quòd dicitur, post mortem Elisæi corpus vaticinatum esse, & eum in vita miracula edidisse, ac in morte opera ejus fuisse miraculosa. Denique eruditi & sapientes Philosophi (loquentes Ænigmaticé de hoc spiritu) inquiunt, in corpore esse osticulum aliquod vocatum Luz, quod cum homine remansurum sit usque ad diem extremum, & effecturum, ut ipse resurgat: Sed intelligenda sunt hæc secundum propriù eorum sensum, non verò vulgariter: Fixetur illud in memoria, quæso, quòd contactus ossium Elisæi causabat mortuum resurgere à morte ad vitam. Levit. 17. Num. 35.

In tertio loco venio ad modum conductionis & translationis sanguinis à vulnere ad Vnguentum: sanguis desumitur ex vivo fonte sanguinis vulnerati illius, vel quatenus armis illinitur, quæ vulnus inflixerunt, vel quatenus baculo alligatur, vel ferro, alijve rei, atque ita transfertur ad unguentum in ulla mediocri distantia: Iam verò ratio est ostendenda, quomodo possibile sit, ut ulla certa relatio inter vulnus & unguentum esse possit: Nam, ut Fosterus ait, possunt esse Castella, montes, muri & aër spissus inter Vnguentum & vulneratum, quæ curationem hanc infringere vel in totum impedire possunt.

Porro in memoria acriter fixum teneamus, necesse est, dilucidé nos expediviss in præcedenti nostro discursu præcellentiam spiritus animantis, in quo est omnis virtus & quælibet quatuor ventorum proprietas, cumque sit spiritus spirituum; & spiritus spiret, ubi vult; quid quæso impedire potest actum seu operationem ejus? Et qua distantia aut intervallo activitas

ejus limitari potest, cùm sit spiritus ventorum & anima fulguris ac essentia Solis & stellarum cœli, quæ illius animatione radios suos peripherice eijciunt ad quemlibet Horizontis seu Hæmisphærij angulum: Nonne potest hic spiritus, quia in sanguine continetur, penetrare multos milliarium centenarios per emanationem ex cruento suo vehiculo, prout prodit ex Tabernaculo nubiloso, in forma seu potius vehiculo coruscationis: vel ex loco ejus phœbeo in radijs aureis. Vnde dicitur in lumine numen & in numine lumen: sic ait Psalmista: amictus lumine quasi vestimento: Dico vobis hunc unum eundemque esse spiritum qui est in homine, & is, qui operatur in ventis: ac propterea dicebatur: Veni ô spiritus à quatuor ventis: spiritus hic in partes minimé dividi potest implet (ut Salomon perhibet) totam terram, & sedem suam in cœlo constituit, ac proinde residet in corpore ac spiritu hominis, ut dictum: Esdras verba faciens de hoc spiritu dicit, ut anté, spiritus Dei omnipotētis omnia creavit ac scrutatur omnia in viscеribus & abditis terræ locis. Quibus apparet, ipsum hunc spiritum, quo spirat homo, non posse terminari nec limitari in dimensione ejus penetrativa & extensiva, nec etiam in incessu ejus per ullum obstaculum intermedium impediri posse.

Psalm.104.

Denique hominem, qui credit hunc spiritum, ex eoque dependet, quicquid optat præstare posse: nam per veram cognitionem & usum ejus, Prophetæ & Apostoli miracula edebant tam in curando, quàm in perficiendis negocijs majoris administrationis. Hìc ergo spiritus, qui dicitur intellectualis, pro ut intelligere facit, vitalis, respectu vivificationis: Spiritus Dei fortis fecit me, inquit Iob, & spiraculum omnipotentis vivificavit me; naturalis respectu vegetationis ac multiplicationis: Visitatio tua (inquit alibi) conservavit spiritum meum, agit & emicat per radios occultos ad subjectum illud sanguinis mortui, qui transfertur ab eo ad unguentum, in quo sanguine amputato, conspicitur spiritus portio ecstantis sine actione. Iam verò alterius natura delectatur naturâ alterius: quatenus ambo inter se invicem sympathizant. Siquidem omnes sunt ejusdem consonātiæ & gradius aut unionis, in amore vitali: ut, Exempli gratia: capio duas testudines seu violas, vel ullum aliud consimile instrumentum, collocetur horum alterum in altera mensæ extremitate; alterum loca in alia extremitate: ponatur parvula palea seu stramen super unam chordam alterius testudinis, quæ importata, la, mi, re: vel de la, Sol, re: ac tum percutiatur Gam-ut alterius testudinis, & palea nec semel quidem movebitur, eò quòd non sympathizent in uno eodemque sono ac proportione seu vagabundo sono; ac ob id relationem ad invicem non habent: sic etiam, si sanguis transferatur ad Vnguentum heterogeneum in natura vulnerato, nihil in hac curatione præstabit: at verò si colloces stramen super Gam-ut vel a-re alterius, alteramque percutias in Gam-ut, vel a-re, nimirum unisonis, é vestigio stramen saltare & quasi tripudiare videbis ab alia chorda, ratione vibrationis superfluæ vel jucundæ activitatis: & consimilis formalis proportionis, quam harmonia sympathetica inter quaslibet chordas causat alteri in aëre: imo hic effectus accidet, licet sint asseres collocati vel alia ejus generis obstacula, quæ impedire possunt directam vibrationis lineam in aëre seu medio inter duas testudines: In quo experimento observare licet, chordam percussam aptissimè comparari sanguini vulnerati, semper in ejus corpore animato, qui per emanationem secretam seu emissionem, idque per naturalem inclinationem ac sympathiam, parit in eo ipso tono secretam communicationem inter spiritum tranquillum & occultum in sanguine congelato, qui est in unguento, quod chordæ, cui palea adhæret, comparo: ita, ut chorda, licét ex se ipsa sit silens & quiescat, tamen ad actionem alterius chordæ, quæ realiter movetur, spiritu actuali chordæ percussæ, ex mero concentu excitat chordam quiescentem ad agendum, similiter & in agendo remittere, ac post se relinquere ac retromittere harmoniam salutiferam agenti spiritui, qui æqué appropinquat propriæ quiescenti suæ naturæ ac tonus unius testudinis agentis aut percussæ ad illam alterius non percussæ: Nam, ut ambo sunt tantùm unicus spiritus, licet intervallis differre videantur, ad instar chordarum in binis testudinibus, sic similiter illi duo toni sunt unus tantummodò tonus, licet differre videantur, ac proinde unum tantùm reddunt atque edunt Vnisonum: sed, quoniam alter spiritus essentialiter non potest separari ab alio, nihilo magis, quam Divinitas essentialiter in partes Dividi potest, pro ut etiam unus tonus essentialiter vix distingui potest ab alio: quapropter vividé se ipsum extendit à termino à quo ad terminū ad quem: à vulnere ad unguentum, videlicet existente uno spiritu continuato: haud secus ac filum ab una extremitate conclavis ad alteram extensum cernimus: Cùm igitur hic spiritus requirat vehiculùm spirituale simile sibi ipsi, fertur quasi super alas venti in occulto sanguinis spiritu, qui videtur quasi vehiculum: haud aliter, ac spiritus venti fertur per aërem, non observans ullam determinatam distantiam, nec impeditur montibus, sylvis vel muris ad præstandam & exserendam vim suam: prout videmus, ventum Septentrionalem producere in Lombardia gelu, glaciem nives &c: licét excelsi montes Alpini ad ipsas nubes penetrantes interponantur Sed proferam exemplum magis familiare de grano Frumenti,

Iob.9.6.
Iob.9.
Iob.11.

quo

que in se considerata sine matre sua, terra videtur nullatenus agere, nam ipsius spiritus delitescit in centro, non operans ad circumferentiam vel viâ vegetationis vel multiplicationis. Fons, unde originem suam trahit anima vegetabilis per multiplicationem, est sol cœlestis, qui operatur vitam in omnibus vegetabilibus virtute spiritus Catholici anté dicti, qui Tabernaculum suum ponebat in sole, dando naturale vitæ incrementum & vegetationis cujlibet rei: Nam etiam si Spiritus hic in semetipso sit Catholicus: Tamen, ut intrat in ullam specificam creaturam, convertit proprietatem suam ad vivificationem, multiplicationem ac generationem ipsissimæ illius speciei; imò quidem ipsissimo generi humano: Vnd Aristoteles ait: Solem & hominem generare hominem: Exempli gratia: Multiplicatum est successivâ influentia penetrantis sui spiritus in grano tritici, resuscitati (ut D. Paulus habet) post mortem ac putrefactionem, in propria terra ejus ab uno ad viginti; ac tum posteà sursum movetur in vehiculo suo aëreo, cum stramineo suo caule versus fontem essentiæ suæ & attrahit virtute quadam sympathetica seu Magnetica suum simile de desuper per Catholici aëris medium. Sed observatum est à ruricolis & agricolis, quòd, quò melior ac fœcundior est fundus seu terra in temperatura, in qua granum seminatur, & quo vicinior naturæ grani, eò magis prosperabitur & multiplicabitur in virtute granum. Iam verò fons vitæ grani, nimirum Catholicus spiritus vegetationis præcipué in sole residet majoris mundi, comparato cordi hominis seu minoris mundi, quod est vitæ principium, granum haud inepté confertur medico sanguinis, qui colligitur ex arbore vitæ cruento, moventis in venis & arterijs, ut in stramineo caule seu siliqua: Caulis semper ex crescens super eo cum reliquis granis, refertur ad totam sanguinis massam in venis, quæ remanet in actu manifesto. Amputatum granum ad sanguinem amputatum, propter quem, licet ambo maneant sine ullo actu manifesto aut vita, tamen nihilominus possident vitæ spiritum ac multiplicationem centraliter in se contractam: Ac proinde remanet in ijs, solummodò in potentia agendi; sed nihil ad huc agens, nisi evocetur & in actum reducatur per activam similem & vivificantem naturam; seu potius per eundem ipsum continuatum spiritum, ad granum suum à sole vel ad sanguinem amputatum à spiritu in corpore vulnerato: Internus invisibilis Spiritus sanguinis, in quo Spiritus vitæ movetur ad unguentum à vulnerato, comparatur Spiritui æthereo seu cœlesti, in quo incorruptibilis Spiritus influentia movetur à sole deorsum ad granum usque per commune medium seu vehiculum utriusque: In quo spiritus Æthereus movetur similiter à sole deorsum versus suum simile, vel potius se ipsum excitat in grano jam terræ in humato, vel à fonte vitæ ad granum emortuum vel sanguinem in Vnguento, quod medium est commune aëris Elementum. Vnguentum terra est fertilis, in qua cruentum granum moritur & resurgit, de quo jam verba faciam.

Quartum, quod hîc considerari debet est, unguentum ejusque natura. Quis vel merus Idiota negare potest, simile appetere sibi simile, vel unam naturam fovere fortiorem, sustinere & recreare aliam debiliorem, & debiliore gaudere auxilio & solamen accipere? Antiqui medici & Philosophi observarunt pulmones nutrire pulmones, & cerebella fovere cerebrum debilitatum, lien lienem confortare juvat & pro intestinis debilitatis clysteres ex intestinorum decocto injicimus, stomachus galli concoctionem juvat: Ipsissimum sputum à phthisico ejectum dicitur pulmones sanare, sic vermes mortui, in pulverem siccum redacti necant lumbricos: Calculus vesicæ aut renum, debito modo præparatus, calculum curat.

Denique certum est simile agere naturali inclinatione in suum simile: Natura enim lætatur sua natura, natura naturâ gaudet. Iam verò si respiciamus ad compositionem hujus medicinæ, deprehendemus illam esse admirabilis consonantiæ cum sanguine humano; nam, ut anteà vobis significavi, nimirum sanguinem esse sedem Spiritus vitæ, vitamque carnis in sanguine residere, & similiter, Spiritum vitæ esse immediatè tam in pinguedine, quàm in sanguine; ac ob id ne hæc duo comedantur interdictum fuit, sed distinctim reservanda in holocaustum Debitum Domino: & siquidem vita ossium est in sanguine ac carnibus, ac proinde participant de vitæ spiritu & consequenter possident in se medullam Balsamicam, quæ spiritibus referta affectar totaliter reliquas partes. Quare procul dubio una eademque relatio unionis est inter hoc unguentum cum sanguine in eo & naturam vulnerati; Qualis est inter chordam testudinis alterius, quæ proportionata est alteri in eodem tono: & hanc ob causam promptæ erit ad evibrationem unius mutui consensus harmoniæ sympatheticæ, si spiritus amborum per virtualem contactum, unius alterius naturæ, fiant per translationem spirituum individualium unius in corpus alterius, ut vivida virtus alterius Balsamica roboret & excitet stupidum ac lethalem languorem alterius: Haud secus ac activitas unius chordæ testudinaceæ percussæ, excitat aliam ad movendum, quæ anteà erat quieta, & vitæ expers: Vel, prout videmus, tritici granum

terræ injectum ritè probèque ſubactæ ſtercoribus equorum, qui ipſi eodem paſti ſunt grano, quâ citiſſime animati per ſolis radios & factum eſſe mobile & aptum ad aſcendendum verſus fontem agentis ſui ſpiritus: Nam quilibet ſpiritus per naturalem inſtinctum ſeu inclinationem ſurſum tendit ad nativam ſuam regionem.

Finaliter: Iam deveniam neceſſe eſt ad merſem myſticæ hujus curandi operationis; Foſterus inquit, non poſſe eam compleri nec præſtari ullo contactu virtuali, cùm ſit extra determinatam activitatis ſphæram. An verò ipſe vel ipſius acutiſſimus magiſter novit certos ac determinatos limites activitatis in qualibet re, ut tam audacter concludat? Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas: Sed pro certo habeo, me non poſſe diſcernere ullam iſtiuſmodi felicitatem in ejus revelationibus ac præſcriptionibus limitum ad agentia naturalia, multò minus ad hunc ſpiritum, qui agit & operatur omnia in omnibus & ſuper omnia: Qui, quicquid vult, facit, tam in virtutibus cœli, quàm in inhabitatoribus terræ. Si hic decumanus Antagoniſta unguenti armarij, vellet tantummodò ſecum perpendere mirabilem operationem, quam Catholicus hic ſpiritus producit in hac frigida & contractiva facultate; ut, cum à ſeptentrione movetur & facit nives, gelu & glaciem per contractionē ſpiritus mundani tenuis in corpus groſſum, & abſorbet fontes terræ de deſuper; quod totum perficitur contrahendo actionem ſuam à circumferentia ad centrum, faciendo commune Elementum alterare à dilatato ſpiritu ad corpus contractum & viciſſim à corpore contracto ad dilatatum: Nam alteratione aliqua, huic actui Boreali ac ſeptentrionali diſpoſitioni omnino oppoſita, diſſolvit in dilatante proprietate ac reſolvit, quicquid efficiebat per frigidam ſuam conditionem in movendo ac revivificando aquas congelatas, reddendo eas Diaphanas ac tranſparentes & ſpirituales ſeu inviſibiles res, tametſi anteà eſſent ſpiſſæ, opacæ, tenebroſæ, corporales & viſibiles. Atque iterum, ſi acuto ſuo judicio ponderare ac conſiderare voluerit, quomodò deijciat & deprimat deorſum in terram fontes per ſuj præſentiam in Tabernaculo ſuo ſolari, qui à frigida ejus proprietate expullulabant & excitabantur ex terra: Si, inquam, ſecum probè ponderaret atque perpenderet, quomodò ſol jam exiſtens in meridie ultra æquinoctialem, ſubtiliet ibi groſſum ac ſpiſſum aërem ac diſſolvat geloſos, nivales ac glaciales effectus, quos frigus introduxerat in Hæmiſpherium illud, dum ſolis præſentia in mundo ſeptentrionali operabatur contrarios effectus; & quomodo ex hac parte Æquinoctalis contractiva ſua facultate partim exſugat & abſorbeat fontes ex Meridionali mundo, ex terra, ac partim dilatativa actione ſua deprimat ex illa parte fontes dictos, apparentes in climatibus ſeptentrionalibus: Tunc ſanè actionem potentiſſimi hujus ſpiritus in quæſtionem ac dubium non vocaret, aut illam limitaret (juxta phantaſticam nonnullorum opinionem) intra ſphæram activitatis imaginariam: Siquidē hic ſpiritus ab illo eſt, qui implet omnia, & operatur omnia & in omnibus: Ac propterea conſequenter efficit magnifica contractionis ac dilatationis opera, quæ uſque adeò manifeſtè apparent in quovis mundi angulo. An circumſcribet actionē hanc elevationis fontiū & reciprocæ mutuæ eorū depreſſionis, ſine ulla ſphæra ſeu orbe, niſi ſit ille mundi rotundi? An actionem hanc effectam inter ſpiritualem habitum privationis ſeu frigoris & inter illum vitæ ac poſitionis, qui eſt calor, exiguum requirere ac poſtulare intervallum opinabitur, ut extrema tam procul à ſe invicem diſtent, quàm ſeptentrio à Meridie; ut ſibi invicem obvient ac concurrant in ſymphoniacam proportionem? Quò calidius ac intemperatius; & conſequenter dilatatius alterum hæmiſphærium exiſtit, eò frigidius & contractius eſt oppoſitum: Ac proinde, quò major fontium ibi eſt depreſſio ob calorem intenſum in altero Hæmilpherio, eò magis exſuguntur & attrahuntur ſurſum ex terra attractiva virtute frigoris intenſi alterius. Hoc poſſum & paratus ero probare ac demonſtrare cujlibet, qui hæret inter dubium hujus puncti, oculari concluſione ſeu demonſtratione.

Quare ex hiſce evidens eſt, quæ in medium produximus, hoc Magneticum curandi genus, Donum eſſe Dei, juxta Paracelſi opinionem; nec vero actum Diaboli, pro ut Foſterus noſter vix Chriſtianè ſanè in publicum edidit, attribuens & aſcribens contra rationem & conſcientiam Diabolo, ſpirituum peſſimo ac ſpurciſſimo (cujus officium ſolum eſt deſtructivum & vulnerans, non verò conſtructivum aut ſanans) quod eſt ſola proprietas optimi hujus pulcherrimi ac puriſſimi omnium ſpirituum, cuj inſerviunt omnes boni Angeli ad perficiendam voluntatem ejus, ut Diabolus malignos ſuos Angelos habet deſtructores.

Itaque ex his videre eſt, (lector benevole) quomodò vita inſpiretur creaturæ à Dei bono ſpiritu vitæ: Quomodò ejus ſedes ſeu vehiculum, in quo movetur, ſit ſanguis; quomodò caro illa, adeps & oſſa vitam ſuam & vegetationem habeant in ſpiritu, quī movetur in ſanguine; quomodò hic ſpiritus operetur privativè, contrahendo ſuos vitæ radios à circumferentia ad creaturæ centrum, ubi acquieſcit, vel potius ceſſat operari effecta officij vitæ ſui, ut liquet aperte in morte & ſanguine congelato ſeu tritici grano: Atque iterum operatur poſitivè ad vitam, qua vivificat, quod mortuum erat antèà, emittendo actum ſuum à centro ad circumferentiam creaturæ, ut in grano tri-

no tritici terræ inhumato seu in sanguine congelato, ad hærente vel baculo, vel armis ad unguentum translatis, tanquam ad terram suam maximè naturalem : Vobis etiam ostendi, quomodò Spiritus sit unus idemque & indivisibilis : Ac proinde id, quod in unguento residet, & quod in corpore operatur concatenantur & continuantur essentialiter sibi invicem, quatenus sunt de uno spiritu, licet is procedat à quatuor ventis : in essentia, inquam, non divisus, sed solummodò proprietate differens : Operatur enim contractivè per frigus & dilativè per calorem : Simili modo, non esse, nisi unicum vehiculum commune, quod vehit spiritum hunc in ætherea sanguinis substantia : Postremò, quòd, quia unguentum ex sanguine humano conflatur, adipe humano, carne humana seu Mummiâ & excrescentiâ fumosâ ossium humanorum, dicta Vsnea seu Muscus, qui excrescit ex Cranio, juxta receptum meum, ac ob id, quòd natura Catholici spiritus sic specificata sit in unguento, licet non operetur; ac proritetur ad operandum per unionem, quam possidet jam à radijs spiritus vividi ac operativi vulnerati, haud secus ac sol operatur supra terram, in qua deliteſcit mortuum tritici granum, simul atque evocat & excitat centralem spiritum occultum in sanguine mortuo, ad operandum similiter radio solari in vitæ atomo, qui est granum. Quocirca mixtio amborum nunc operantium spirituum in unione una vivificante facit eos tendere ad vitæ fontem, ut granum exsurgens terrâ, deportet pariter suum simile, quòd lætabatur in terra, sursum versus nativam suam regionem, nisi ponderosa Elementorum tegmina impedirent ascensum ejus ulteriorem. Sed, quoniam hæc terra seu unguentum magis est spirituale, emittit potentiam suam adsanguinem, harmoniâ illâ, quam continuatione spirituum efficit, nimirum quasi unione aliqua, ratione uniformitatis specifici spiritus, hominem spectantis, cujus unione quatuor Elementa discordantia & quodlibet membrum corporis humani unitur harmoniæ sympatheticæ, in usum vitæ adoptatæ in creatura; imò quidem, quatenus sanguis, caro, pinguedo ac ossa in omnibus alijs brutis animalibus efformantur ex uno genere formæ Elementalis, & similiter effigurantur ab eodem spiritu operante; non quidem mirum est, si sanguis ejus additus eidem Vnguento, etiam sanitatem causet ac parat in creatura vulnerata, si quidem generaliter tendit ad vitam, quod proprium est omnium cruentarum creaturarum, nulla exceptione facta ad quamvis differentiam specificam : An hoc igitur (probè & accuratè pensitatum & à Zelotypo & æmulo vel mediocri intellectu) possit apparere actus Diaboli, & non benedictum Dei Donum, ruminationi ac judicio eorum, qui me felicius judicare noscunt, liberum relinquo.

Iam verò (lector candide) ut tandem partem hanc Philosophicam concludam, melioricũ gustu in sapore palatorum maturiorũ vestrorum judiciorum, & bene conditorum conceptuum à Theorico hoc & speculativo demonstrationis cursu discedere, meque adtempus ad magis practicum, seu experimentalem directionis modum conferre animus est: Quo commodius planitiem ac directa veritatis vestigia ingrediaris & insistas, quod ad resolutionem attinet prædictæ illius quæstionis : Et quidem in tria distincta capita practicum hunc meum discursum dividam; quorum primum instruet te notabili & insigni experientia, agens, seu internum principium in hac curatione esse in sanguine seu corpore hominis viventis ac vulnerati, ac per consequens, Diabolum necessariò excludi debere, ut sit ullus in eo agens aut actor: Secundum exprimet diversas veras Historias de hac curatione; prout peractæ sunt inter nos hîc in Anglia. Tertium aperiet verum fundamentum, cur Antagonista & censor noster hunc librum in publicum ediderit. Atque postremum referet certum modum curationum sympatheticarum, quæ apparebunt multò peregriniores ac mirabiliores, captum spongiferi nostri magis superantes, quàm illud Vnguenti armarij : De hisce igitur ordine hoc modo.

MEMBRI SECVNDI

CAPVT. I.

Hîc nunnullæ observationes practicæ observantur spectantes curationem hanc; quibus manifestum redditur, externum agens in hac curatione centraliter in sanguine contineri : Ac per consequens M. Fosteri Diabolus excludendus erit ex salutifero hoc negotio prorixatore.

QVod si ita esset, (ut M. Fosterô placet) Diabolum solum esse authorem & actorem in hac curatione, eumque id præstaré astutè ac Sophisticè ad decipiendos simplices illos medicos circumforaneos, tunc verisimile non est, ullum agens in sanguine esse posse, quod resistere huic ejus curationi impedireve eã possit, quod etiam probabilius apparet, eò quòd natura voluerati apta & prompta est pro virili sua deponere languorem omnem, & Tabernaculum in salubri statu possidere exoptat. Atque hanc ob causam videre est, applicatione unguentorum seu Balsamorum seu Medicinarum ad intra, spiritus naturales internumque vitæ actorem juva-

re ac promovere medicinas in curationibus ſuis, alioqui vix tale quippiam efficerent: hanc ob cauſam medicus adjutor naturæ vocitatur.

Iam verò principale agens hujus curationis formulæ comprehendi in corpore vulnerati, probo in hunc modum: Hoc extra controverſiam eſt & confirmatum dabitur ab inſignis eruditionis viris, non quidem puppis aut fumi venditoribus, ſed longè majoris maturitatis & in doctrina & in judicio, quàm ſpongifer noſter, diurna experientia ſua ſe expertos & verum comperiſſe, quòd, quando vulneratus miſit ſanguinem ſuum ſuper baculum, ferrum, vel arma ad locum Vnguenti, & quòd inſuper fuerit in via ſanationis; ſi intereà temporis curationis ejus, rẽ cum fœmina menſtruoſa habeat, immediatè, curativa in unguento vis deſtruitur, nec ipſi conferet: ſimiliter ſæpius, animadverterunt, quòd, ſi vulnerato contingat intereà hæmorrhagia narium, curativa hæc proprietas omnino tolletur & nihil exinde conducet. Ex quibus apparet, hoc accidere eò quòd actus & emanatio ſecreta interni vitæ ſpiritus, in vulnerato divertitur ac diſtrahitur ab applicatione ſua ſeu aſpectu ad Vnguentum armarium, ac proinde emittit alterum, ut operetur in alio, qui ipſi & corpori uſque adeò immediati ſunt, ut quemadmodum in cœlo videmus, majorem aſpectum ſeu applicationem potentiorem unius planetæ ad alium ſubmergere ac tollere minorem.

Aliud eſt inſigne experimentum comprobatum ab homine apprime nobili, cujus mentionem facturus ſum pluribus, Capite ſexto hujus membri: nam aliquis famulorum ejus graviter vulnerans digitum falce, idque juxta articulum, cùm gramina demeteret, ejus digitus ſanguinem aſſiduè ſtillabat, nec is ſiſti facilè potuit. Quare hic nobilis imperabat, ut falx ex manubrio excuſſa ad ſe deportaretur ita ut inungere poſſet eam: vulnerato ipſo ſiculam excutiente in ipſo primò ictu ſeu impulſu armorum, quæ vulnus ipſi inflixerant, ſiſtebatur ſanguis, nec ullam guttam exinde amplius profudit. Et ſanè agnoſcebat, quòd, licet ne gutta quidem ſanguinis conſpicienda vel diſcernenda eſſet ſuper arma illa, tamen ſi illineret locum inſtrumenti, qui vulnus impegerat (quod ſæpius confitebatur, ſe divinando coactum fuiſſe facere) æquè curationem perficiebat, ac ſi ſanguis hæſiſſet inſuper. Ex qua revolatione ſeu detectione colligo, totum hujus curationis myſterium conſiſtere in ſecreto ac inviſibili ſpiritu, qui in ſanguine eſt, manens tam quietus & operans in vulnerato corpore, quàm illud, quod penetravit inviſibiliter in arma: nam alioqui abſque præſentia ſanguinis viſibilis, non poſſet operari; imò & ex hac obſervatione, nimirum falce ſeu armis percuſſis ſanguinem é veſtigio ſtitiſſe: æquè magnum myſterium revelatur, ac quando præſentia occiſoris ſanguinem in interfecto congelatum refluere facit: quòd totum efficitur partim proprietate contractiva occulti in ſanguine ſpiritus & partim dilatatione ejus, ut dictum anté.

Hinc claret, non eſſe Diabolum, qui externa operatione operatur quippiam in hac curatione, ſed eſſe ex centrali emanatione ſpiritus illius in vulnerato, qui vitam ei prebet, quæ operatur ab æterno, ut experimentis hiſce dilucidé eſt expeditum. Iam venio ad ſequens caput curationum empiricarum.

CAPVT. II.

In quo nonnullæ hiſtoriæ de effectu curationis hujuſcemodi exprimuntur.

IAm verò referam vobis hiſtorias curationum nonnullarum domeſticarum, qui per unguentum hoc armarium præſtitæ ſunt, ut inde ſapientes ſyncere, an Diabolus aliquid juris in hac curationis formula habeat nec ne, conijciant.

Miles eſt Canthij accola, homo judicio præpollens, religione & eruditione excellens, dictus Sir Nicolas Gilbourne; quidam, inquam, cui & ſum & fui familiariſſimus; ſororem enim meam in uxorem duxit. Hic miles Capitaneo cuidam nomine Stiles admodum familiaris, quatenus ſuperioribus annis erat Tenens ſeu municeps, ipſius verſabatur cum dicto Capitaneo in conſortio proborum & eruditorũ Theologorum, tempore confectionis dicti unguenti, qui videbant omnia ingredientia diſtinctim ac poſtmodum mandabat Pharmacopolæ ut componeret illa ſine ulla actionis ſuperſtitioſæ ſpecie, ubi generaliter ſtatuebatur eſſe medicamentum licitum & nullatenus Diabolicum: Myrotheciũ hoc unguento plenum dono dabatur fratri meo, quæ ſalutaria effecta præſtiterit, illud vobis tribus (quod ajunt) verbis referam, idque verbatim, pro ut illud ſub propria illius manu poſſideo.

Primum (inquit ipſe) erat Katamæ in Canthio, ubi ſervus alicujus Poppe naupegi, vulnerabatur ſecuri ictu tam profundo, ut nihil ſupra, tamen manus non prorſus abſciſa erat: poſt hanc læſionem (quod erat tempore pomeridiano) adducebatur ad me, ſed negabam, me aliquid negotij cum illo habiturum, ſolummodò conſulebam, ut vulnus urina propria lavaret, quod faciebat. Sequenti manè primo diluculo illinebam ſecurim, & poſt litum mittebam ad dictum virum, ut perquirerem, quomodò ſe haberet: replicabatur ipſum per totã noctẽ in maximis fuiſſe cruciatibus, ſed

jam

jam non ita pridem eos remisisse eum. Sequenti manè intrans Musæum meum dejiciebam gladium meum super securim, cujus capulus decutiebat unguentum ex securi, quod ubi deprehenderem, ablegabam alium, ut intelligerem & tunc quomodò valeret: & responsum accepi, illum probè admodum se sensisse tota illa nocte, sed hoc manè maximis illum torqueri cruciatibus atque ira perdurare. Quapropter secunda vice illita securi mittebam ad ipsum, percipiebamque, illum maximum sentire levamen, & intra septem dies perfectè sanitati fuit restitutus.

Hæc sunt ipsius verba ipsissima, quæ literis ad me dedit; quibus constat curationem hanc (contra M. Fosteri assertionem) perfici unguento armario, nec verò ullâ aliâ secretâ medicinâ à Diabolo adhibitâ (quin potius hæc M. Fosteri inventio diabolica est, & curatio unguenti naturalis: nam alioqui, quomodò Vnguentum adhærens securi detectum seu decussum à gladij capulo esset occasio subitæ in vulnere mutationis à meliori ad pejus? Et quomodò rediret vulnus à temperie sua dolorosa in statum pristinum ac solitum post recentem & secundâ armorũ seu instrumenti inunctionẽ.

Secunda historia hujus curandi modi erat hæc: Ego (inquit Sir Nicholas Gilbourne) evacuationem & expiscationem susceperam stagni alicujus Charingæ: cumque rem absolvissem, pueri oppidani aquas intrabant, ut perquirerent pisces: inter reliquos verò Brentius Deering (filius Domini Finch Deeringi) intrabat ad idem intentum, atque ibi canna penetraverat per suram ejus alteram: admodùm stillabat sanguinem & torquebat ipsum maximis doloribus, quod causa erat, ut mater ejus mitteret ad aliquem Chirurgum Iohannem Hartium Charingensem ad vulnus explorandum illudque obligandum; sed ipse continuabat post obligationẽ cruciatibus summis gravatus & ad syncopen paratus: Quare soror ejus mittebatur ad me, ut, quod in me esset, facerem pro ejus levamine: reponebam, me nihil boni posse præstare, eò quòd jam obligatus fuerit à Chirurgo, sed hoc nolebat ipsis satis facere: ac propterea pro importunitate eorum consulebam ipsis (quia edocebant me orificium admodù esse angustum) ut abluerent omnem Chirurgi lituram, & ut textoriam seu lanariam acum vulneri immitterent, tam procul ac penetrare vellet, alligato simul filo, quo non penetraret ulteriùs: illi itaque ita facientes invenerunt penetrare omnimodé ad ipsam cutẽ lateris oppositi. Hanc acum perungebam & intra quatuor vel quinque dies consanescebat apparenter, nisi quòd in summitate orificij esset pstora quædam sicca. Minimè satisfiebat mihi, eò quòd invenirem non ex toto convaluisse, sed scabiem moram facere super eo. Quapropter de novo pernuxi acum sub nocte, & sequẽti manè exibat ex orificio modica Cannæ schidia, & postmodùm intra duos vel tres dies in totum consanescebat.

Hæc ipsissima verba sunt Sir Nicolai Gilbourni epistolæ: quid Fosterus noster dicet ad hanc curationem? Quid? Anne verò diabolus hanc curationem perficiebat per medicinas alias, & non per Vnguẽtum hoc sympatheticum seu Magneticum. Res sanè manifesta, totam curativam potestatem consistere in Vnguento. Nam effecta in curando testificabantur tantum; sed principale agẽs procedebat vel potius emanabat à corpore vulnerato.

Et hei! quid diabolus lucrati potuit ergà miserum puerum in hoc curandi modò secretò præstando, qui nihil, nisi Dei benedictionis assistentiam & beneficentiam in levamen suum expetebat? Insons puellus (inquam) ac propterea sub protectione Omnipotentis: justo refugium (inquit David) Deus & propugnaculum. Quid? an verò tutelaris Angelus hujus puelli (qui, ut Christus inquit, semper aspicit ac contuetur faciem Patris sui, qui in cœlis est) usque adeò erat negligens, ut amitteret & perderet mandatum speciale sibi à Deo commissum, per tam miseram diaboli astutiam? Castrametantur Angeli (inquit Psalmista) circa timentes eum & recipit eos. An verò & illi tam facile deludendi erunt, qui magis sunt vigilantes ad præservandos Dei electos quam Argus centocularis? 1 Psalm. 9. 10. Matth. 18. 11. Psalm. 34.

Ex hisce discernere licet spongiferi nostri fatuitatem & fictiones imaginarias de profundo hujus curandi modi mysterio. Venio ad tertium.

Winsor propè erat aliquis, cui aliquid erat negotij in sylva, qui, dum demeteret prati partem, retro incidebat in falcis suæ cuspidem, & dorsum totum usque adeò pernicioscé dilacerabat, ut vita ejus in dubium vocaretur: Falx è vestigio missa fuit Londinum ad Capitaneum Stiles, qui inungebat, involuebat & reponebat illam: Nam paulò post aliquis veniens inquirebat de Doctore Stiles, mittebaturque ad ipsum: minister intelligens esse ob gratiarum actionem pro curatione per Vnguentum armarium præstitâ, mittebat ipsum ad Capitaneum; paucis ipsum volebat. Capitaneus intererat prandio vel cœnæcum pluribus ex suis amicis, & mittebat pro dicto viro in cœnaculum, isque ibi retulit Capitaneo, vulneratum illum agnoscere ab ipsò vitam suam proximè à Deo, certiorans eum, periculosum vulnus inflictum sine mora consolidescere, postquam falcem suam misisset ad eum, & in totum sanabatur sine ulla alia applicatione. Et in recompensationem hujus, in gratique animo piguus, donabat ipsi latus damæ alicujus.

Hîc videre licet, hanc curationem præstitam fuisse ex intervallo 20. milliarium inter vulnus & unguentum.

CAPVT. III.

Hîc ſpongiferi noſtri mundana aſtutia & fraus, ſeu Politia in explodendo & promulgando Vnguento armario, polito ſanctitatis velo palliata, detegitur & in publicum proditur.

SEd, quatenus Experimenta citata & probata à Capitaneo Stiles & Sir Nicolao Gillourno, ſunt duo tantum aut tria, & juxta vetus dictum, unum atque alterum exemplum non probat Argumentum; non equidem abſurdum mihi videtur, certificare quemvis lectorem, eſſe quendam hujus regni nobilem, religione, judicio, ac eruditione præcellentem, qui in primò limine exſibilabat hoc curandi genus, ut rem impoſſibilem. Sed poſtquam revera reale eſſe deprehendit, terrebatur ab ejuſmodi graculis, qualis eſt M. Foſterus, qui minus ad actum & uſum perduceret: quatenus perſuaſum erat ei, eſſe fallaciâ quandam præſtigioſam ſeu operationem & virtutem Cacomagicam in eo: quam ob cauſam abſtinebat & deſiſtebat abuſu & praxi ejus: licèt agnoſceret actum ejus eſſe mirabilem: & tamen nihilominus, eò quòd ejus curioſitas eum incitabat, ut immergeret ſe paulò profundiùs in veritatem: ſub finem Capitaneum Stiles compellare ipſi animus erat (virum ſibi probè cognitum familiaritate, eſſe & ſapientem ac pium, & adverſum etiam, omnibus actionibus præſtigioſis ſeu ſuperſtitioſis & Ceremonijs) quoniam notum erat, eum eſſe practicum inſignem in hoc curandi modo, deſiderium ejus avidum erat pro meliori ſua ſatisfactione, prius oculis luſtrare quod vis ingrediens particulare diſtinctè, quod intrabat compoſitionem Vnguenti hujus, ac poſtmodùm cujuſlibet ingredientis præparationem obſervare, ac finaliter contueri ac perſpicere eorũ mixtionẽ ſeu unionẽ in cõpoſitione, ut eò melius diſcerneret, an ullus actus illicitus ſeu ſuperſtitio Diabolica concurreret, cum ejus confectione: Capitaneus conſentiebat; inſuper nobilis hic, ut melius in hoc negocio informaretur, divinum ſeu eruditum Theologum accerſi jubet ad compoſitionẽ hanc, doctoremque medicinæ famoſum, qui omnes unanimi conſenſu ſub finem operis affirmabant, non eſſe ullam ſuperſtitionem damnoſam in unguenti confectione, ut falſò prætendebatur, nec etiam ullam diſpoſitionem Cacomagicam in ingredientibus, ut vanè prætenderetur & allegaretur à quibuſdam hominibus præciſis. Et hanc ob cauſam unanimiter concludebant, & medicinam in ſe & praxin hujus curandi modi eſſe naturalẽ & per conſequens omni Chriſtiano licitam pro uſu. Hinc honorabilis hic vir per anni ſpatium cum felici & proſpero ſucceſſu exercebat hunc curandi modum ſuper multos, qui vulnerati erant. Et tamen non obſtantibus his, veriſimile erat, nonnullos negotioſos butcones ſeu muſcas bombilantes hujus naturæ, introduxiſſe ipſum in novas opiniones, inſinuantes ipſi, Capitaneum uti poſſe media quædam ſuperſtitioſa, ſeu ignotas præſtigias in colligendis & præparandis principalibus ingredientibus, quæ vix ipſe diſcernere poſſet, & ſine hoc myſticos illos effectus vix præſtari poſſe: Exinde annuo ſpatio elapſo, dictus nobilis pro majore certitudine compoſitionem ipſe conflare parabat, & in promtu habere ingredientia acquiſita & præparata ex propria ſua directione, nimirum Vſneam ex oſſibus humanis &c. Et hanc ob cauſam M. Cooke conſtituebat ſibi Apothecarium, ut ingredientia terenda, in pulverem tereret, ac poſtmodùm componeret & reponeret: Quod cùm præſtitiſſet, deprehendit, hanc propriam ſuam compoſitionem eandem virtutem curatoriam poſſidere, & acquievit tam confidenter in certitudine & hiciro hujus curationis modo, ita, ut ne ullus quidem papilionum phantaſticarum dictarum, per fucatas demonſtrationes ſuas ſine ulla ſolida ſubſtantia, mutare poſſet ejus mentem atque ab hac praxi avertere: quod, ubi gyganteus noſter ſpongifer perciperet, deprehendens, omnes vanas factionis ſuæ nimis ſcrupuloſæ & ſuſpicioſæ perſuaſiones, nihil efficere poſſe, ipſe id inſtar præconis ſeu Oratoris exclamantis pro reliquis profert hæc fragmenta zeli ſui externi & fucati, quatenus ad intus & extra, intento hypocritico ſuffarcitur ac politico: ut latius poſt hæc explanabitur.

Verba ejus in Epiſtola dedicatoria ſunt hæc.

Id, quod compulit me, ut ederem hunc libellum, erat commiſeratio ſtatus quorundam bonæ notæ hominũ, pro pijs æſtimatorum, qui utuntur Vnguento armario: miſeret me horum: reor, nihil damni nec noxæ in eo ſuſpicantur: oro, precor pro ipſis, ipſiſſimis verbi Domini noſtri & Servatoris Ieſu Chriſti: Pater ignoſce ipſis, nam, quid faciant, non intelligunt.

Nonne verò hæc egregia larva zeli ac religionis, obducta diſſimulationis fuco: per politum, inquam, facici obtegumentum

tum hypocriſeos ad obtegendam nuditatem privatæ mundanæ aſtutiæ, nimirum perperam & inſulſé applicare & falſó adhibere verba juſta & pia benedicti noſtri Servatoris Chriſti Ieſu pro declamatione & abolitione benefici illius doni curandi, quod per vivificantem ipſius ſpiritum efficitur ſuper hoſce vulneratos & infirmas creaturas & (quod pejus eſt) attribuere illud falſó Diabolo, inimico & Deo & homini, atque ita defraudari jure ſuo Creatorem & actorem omnium idque in conſpectu omnium ejus rationalium creaturarum, quas in propriam ſui imaginem creavit, perſuadendo ipſis, ut credant, omnem ſanationem myſticam & occultam in ultimis diebus eſſe operationem virtuoſam Patris mendaciorum ac inimici bonitatis? Idque præcipué ſocietatis Chirurgicæ cauſa, ut mox planius declarabitur ac ſi diceret, Deum in ultimo hoc mundi ſeculo amiſiſſe omnem virtutem operativam & poteſtatem in operationibus myſticis & occultis, tam in creaturis ſuis, quàm in miraculis, Bonus iſte Deus (inquam) Creator & cœli & terræ, ac ob id operans miracula in ſempiternum, tam occulté, quàm manifeſté, aut perdidit virtutem operativam ſuam, aut eam tanquam per ſucceſſionem Diabolo aſſignavit: Nonne prædictus nobilis compluresque alij pij & religioſi viri, ad quos M. Foſterus in Textu præcedenti collimat, meliori cum conſcientia retorquerent antedictum ejus ſermonem, dicentes:

Moveor commiſeratione hujus Preſbyteri ſeu Preſbyteri habiti ob ejus profeſſionem religioſam, qui damnat & ſpongiâ ſuâ deleretentat & extirpare unguentum armarium & abolere reputationem illius virtutis, quam Deus eſt elargitus illi in hominis bonum & in levamen vulneratorum miſerorum: miſeret me illius; ſi ex ignorantia id faciat, tunc enim illum nihil mali ſuſpicari exiſtimo: ac proinde
Luc.22. preces fundam pro ipſo in ipſiſſimis Servatoris noſtri verbis: Pater, ignoſce illi: neſcit enim quid agat: Si verò ſciens & aſtutus illud faciat & Chriſti verba in uſum adhibeat aſtutiæ cauſa, vel ut procuret ſibi mundanum queſtum ab alijs, alloquar ipſum neceſſe eſt in hiſce verbis, quæ Chriſtus dabat Petro. Retrocede Satan, non enim quæ à Deo ſunt intelligis, ſed quæ
Marc.8.22. ab hominibus ſunt.

Iam Herclé manifeſtum reddam, illum tegere aſtutiam humanam, Sanctitatis pallio, & per conſequens, ſe profundiùs luto peccati involvit; quare ejus retaliatio, ejus merito reſpondeat neceſſe eſt: Nam, Deus, qui ſcrutatur corda & renes cujuſvis hominis, eſt juſtus & juſta retribuens. Vellem igitur, quemvis lectorem attentum notare, duplicem eſſe rationem in conatu. M. Foſteri ad delendum Vnguentum armarium: quarum prior debiliſſima eſt, nimirum aſtuta ignorantia, vel totalis incredulitas in illis virtutibus inviſibilibus Dei creaturarum, licet evidenter appareat per effectum, idque ad Dei gloriam & ſolamen hominum miſerorum. Hinc oritur captioſa diſpoſitio præciſionum nonnullarum vel potiùs puté apparentium hominum, qui fidem nullam ponunt & colocant in operationibus occultis & arcanis ſive medicinarum, ſive ullius alius rei, quæ manifeſtatur in hiſce ultimis ſeculis: quia, inquiunt, miracula ceſſant, & ob id, quod, jam apparet miraculoſum aut admiratione dignum præſtigioſum eſt, Cacomagicum, Diabolicum, & per conſequens minimé à Deo. Et hoc, quidem genus hominum obliviſcitur verborum Sapientis, qui nobis Eccleſi.11. dicit: opera Domini mirabilia eſſe & glorioſa: ſecreta ſunt opera ejus & inter homines incognita &c: Et iniqui hi judices actionem Dei audebunt improbare, ac condemnare ea, & attribuere illa Diabolo, eò quòd ſecreta ſunt & ſibi incognita? An taxabunt ea, quæ longè ſuperant captum ſuum? Nonne illis hominibus meritò mihi dicere licet, qui in ſcriptis ſuis impingunt in veritatem, ut Petrus Ananiæ? Cur Act.3. & 5. Satan replevit cor tuum, ut mentireris ſpiritui ſancto, & virtutem Dei diabolo injuſté applicares?

Sed, ſi replicabit & dicet, ſe certò ſcire, virtutem hanc ſecretam & occultam à Deo non eſſe, ſed à Diabolo: eâ audaciâ, quæſo, induamus nos, ut quæramus ex eo, quomodò ad illud cognitionis pervenerit? vel quibus medijs acquirebat ſibi illam cum Diabolo familiaritatem, ut uſque adeò is ipſi obligetur, ut ſciat ejus ſecreta? Quod ad illa Dei attinet, novi ea longé abeſſe ſatis à captu hominum ejuſmodi, ad exquirendam rationem ab ipſis: ac ob id Salo- Eccle.8.17. mon ait, intellexi, quòd omnium operum Dei, nullam poſſit homo invenire rationem eorum, quæ ſunt ſub Sole; & quantò plus laboraverit ad id quærendum, tantò minis inveniet. Et hoc audax hominum genus ad inſtar cæcorum equorum (vel juxta proverbium Anglicanum Blind Bayards) audebit aſſeverare, virtutem occultam & abditam in Dei creaturis effici per Diabolum?

Quod quidem ſi omnino ita ſit, nimirum, ut impoſſibile ſit, niſi divinando judicare de his myſterijs occultis & abditis Dei actionibus: equidem ſcire velim, an quiſquam lector eruditus poſſet eſſe tam ſocors, ut qui affirmet, M. Foſterum ejuſque aſſeclas ſeu adjutores rectius egiſſe attribuendo rationem ſecreti modi curationis per Vnguentum armarium Diabolo, non habentes ullum teſtimonium certum ex pagina ſacra, quàm Doctorem Fluddum, qui omnem aſcribit bonitatem & inter cætera actionem ſanandi in genere Deo & benedicto ejus verbo.

Ex hoc genere acutorum & emunctæ

natis hominum & judicum agilium atque audacium, qui consilium suum dant contra Dei causam dissolutè & ad pilæ jactum, imò quidem & tam peremptorié persuadere vellent plebeijs, se omnium Dei mysteriorum participes esse, quæ humano generi non sunt revelata, sed eventu Solo. Ex his inquam, quis assistit M. Fostero in incepto hoc Glorioso, & quasi cum Gygantibus Titaneis prompti ac parati sunt obstare & insultare Iovi, Saturni aut potiùs Satanæ causa, ex illis ipsis, qui calcaribus optimæ fiduciæ suæ ac confidentiæ, irritant eum, ut invehatur contra virtutē Dei in Vnguento armario: & convitijs proscindunt me & alios complures, ob defensionem æquitatis Dei & naturæ ejus creatæ: horum, inquam, mentionem facit, eosque in dedicatoria sua Epistola sic tangit.

Nos de Ecclesia Anglicana, detestamur curationes magicas superstitiosas; habemus quàm plures pauperes paræcianos ministros (quorum ipse ego sum minimus) qui tractare & suscipere audent argumentum & calamos stringere ac concionari contra praxes ejusmodi &c.

Hic videtis areolam præcisi & nimis puri & nimiùm quantum officiosi rudentis ejusdem, dico, cùm Fostero farinæ hominum, fractam esse ac derectam. Et Herclé Fosterus noster rectè dicit, Ecclesiam Anglicanam detestari curationes superstitiosas magicas, ut lege tenetur, & sic etiam cordicitus facio. Sed vellem equidem eum mihi demonstrativè probatum dare, virtutem Vnguenti armarij esse magicam aut superstitiosam, nec verò naturalem. Quod quidem ad argumenta illa attinet & probationes, quas hactenus produxit ad annihilandum hoc genus curationis mysticæ, invenio illas (testor coram Deo & hominibus) usque adeò debiles & infirmas, ut haustu aquæ vitæ fortissimæ opus habeant, ne deficiant in aspectu veritatis, usque adeo tenuiter armatæ, ut vel minimum talitrum veritatis pessundaret eas & spiritu ipsas privaret: Quòd si ipse cum omnibus adminiculis suis, quæ assectæ ipsius præstabunt illi, probabit meliùs, forsam ad credendum inducemur: sed,

Si cœlum ruat, habebimus alaudas.

Secunda ratio seu intentum mundanum, quod ipse obvelat & contegit velatura simplicitatis & sanctitatis, puræ est privatæ astutiæ causa, nimirum ad acquirendum favorem & ad occultum servitium Chirurgis præstandum, ex quorum progenie ipse est oriundus: Cùm enim perciperet, hosce fratres suos malé & indignabunde reconciliare bonum illud assiduum, quod hæc magnetica curatio quotidie præstaret compluribus creaturis Dei infirmis & vulneratis; idque non sine magno præjudicio praxeos & commodi eorum; rebatur ipse fore dignum, servitiumque meritorium illis hoc modo fieri, si susciperet calumniationem & extirpationem mali tanti ocularis, Reipublicæ illi exiguæ inde redundantis: atque illi procul dubio percipientes eum impudenter confidentem naturâ, ut etiam exiguistatus (ut in ejus Epistola ad Lectorem apparet, ubi dicit, se esse infra invidiam, & se habere modicum saltem reditum Ecclesiasticum) ac ob id magis incurium, desperatum; & per consequens aptiorem ad explodendum & invehendum & ad lacessendum se meliores, malignis sermonibus ac dicterijs (quis enim usque adeò stolidus esset, ut dilapidaret ac conijceret pecunias suas in Cameram stellatam pro libellario seu potius convitiatore, qui parum aut nihil possidet?) & ad damnandum præcipitanter & præposteré sine ulla modestia aut conscientia, quæ jam à Deo judicata sunt; admodùm lætabantur hunc eligere virum tanquam perditum in symbolo gregum illorum anté amissorum, ut qui festinanter aggrederetur & subiret sine modestia, judicio & ingenio talem provinciam, nimirum tam ad adimendam huic Vnguento armario famam inter homines, quàm ad me lacessendum falsis & scandalosis imputationibus, eò quòd sustineam, illud esse tantùm naturaliter magicum, ac ob id licitum & nullatenus diabolicum. Iam verò hoc ita se habere, res manifestata est quatuor evidentissimis observationibus: quarum prior est, quia hoc negotium tangit præcipuè Chirurgorum allodium: ac propterea haud est absimile, quin illi sint amici ejus, quos citat in Epistola sua dedicatoria, ubi in hunc modum loquitur.

Mallem equidem jacturam facere propriæ reputationis, quàm homines salutis suæ. Amici mei, ad quorum petitum suscepi hunc tractatum &c.

Hic videtis velum ejus religiosum; & iterum detegit astutiam suam occultam: prætendit zelū pro conservatione & salvatione multorum: & postmodum dicit, se suscepisse illud ex petitione quorundam amicorum, quorum nonnullos majuscula litera appingit margini I. S. & E. C. jam verò qui nam hi sint explicitè, titulus latinæ Epistolæ ejus exprimit: invenietis eos procul dubio, cùm agnoveritis eos superbos, & seditiosos homines, profundæque capacitatis ad determinandum hoc dubiū, quod nos intra manus habemus: Magnanimi jurati viri, inquam, qui dent Veredictum suum super tam profundo Mysterio Philosophico: Deus præservet Authoritates eorum bene moratas amicis meis, inquit, Iohanni Scoto & Edwardo Chalæo, &c:

I. S.
E. C.

læo &c: Itaque hoc penſum nullos, ut dixi, magis concernit, quàm Chirurgos, illumque eos exiſtimare amicos ſuos familiares, confirmabit conſequentia. Secunda obſervatio eſt, quoniam hic author noſter nobis adverſus erat filius barbitonſoris Chirurgi. Hinc inſignis illa reverentia, quam portat erga ipſos, tribuendo illis titulum Armigerorum. Tertia manifeſta redditur per eximiam & inuſitatam Epiſtolam latinam, in libro quodam Anglico, quem dedicavit ipſis: Denique, quia nonnulli eorum (ut edoctus ſum) cum ipſo tendebant ad gratulandum ipſi & ad procurandum illi privilegium libri ejus imprimendi, tam contra Vnguentum armarium, quàm me ipſum nomine, cùm plus modeſtiæ & continentiæ potuiſſet gubernare eos, quàm tam ſerio inſtitiſſe & expetiviſſe Privilegium Pamphleti ſcandaloſi, cujus pars, inquam, modo ignominioſo & infami tangit memetipſum nomine ad carpendum de induſtria, ac ſauciandam (quantum quidem in ipſis erat) incommaculatam meam famam ac reputationem; idque immediatè, poſtquam immodeſtus ille ac præpoſterus ejus compoſitor fuiſſet reprehenſus, repulſus ac reijectus à duobus viris modeſtis ac eruditis, pro ijſdem inurbanis & calumnioſis inſolentijs.

Admodum obligatum me agnoſco hiſce fautoribus mei Antagoniſtæ, eòque magis, quantum etiam uni atque alteri collegarum meorum; quidam illorum exſibilabant & illudebant me, ob ejuſmodi convitia, quæ ipſe oſtentatione quadam expreſſerat in ejus libro adverſus me, & ante ejus privilegium & ſimiliter ex hinc: Sed, ut aſpernor illorum calumnias, quippe nimis demiſſas ad ſubmergendam famam meam; ſic Deum precor, ut ijs ignoſcat fatuitates eorum & peſſundet eorum malitiam: non quidem omnes accuſo, ſed aliquos: Nam equidē novi eſſe inter eos quoſdam, indolis magis eruditæ, diſcretæ, ac modeſtæ, hoſce, ut & mihi ignoſcant, oro, ſi juſtè loquor, idque ad rem, cùm me ipſum tam indignanter irretitum inveniam à nonnullis eorum ſocietatis, ſi curarem eos nec ne. Quare præfatâ eorum veniâ, hunc in modum procedam in Hiſtoria mea.

Supradictus nobilis & Capitaneus: Stiles cum Sir Bevis Tellwell, qui hoc unguentum poſſidebat à perſona illa nobili, ac præſtitit per illud complures admirandas & deſperatas curationes & Mr. Wells Dedfordienſis, eruditus ac honeſtus generoſus, curaverunt ad minus (ut volunt illi probatum dare) mille homines per hunc curandi modum. Et jam quidem ſunt quam plures alij & viri & mulieres, qui lucrum fecerunt ex hoc Vnguento armario, & quotidie multum beneficij in hoc regno per illud præſtant: Hinc dolor, hinc Lachrymæ! Hinc, inquam, oritur dolor & tormētum Chirurgis, tam civitatis Londinenſis, quàm cujusvis alius conditionis. An verò ſat cauſæ non habent, cum amittant eam praxeos quantitatem, quæ crumenas eorum inferſiſſet ac inſtruxiſſet? Nunquid hic erat Caſus aurifabrorum Epheſiorum, qui percipientes, quæſtum ſuum, quem in vocatione & arte ſua lucrabantur & pariebant per idolum Dianæ, quod ut periret, non abſimile erat per D. Pauli virtutes miraculoſas, tam in perſanandis morbis, quàm ſecus (nam in eodem capite dicitur, Deum haud modica operatum fuiſſe miracula manu D. Pauli; ita, ut ab ejus corpore ad ægrotos ſudaria deferrentur & morbi recederent ac Dæmonia exirent ab ipſis) in ſalutifera prædicatione Chriſti, in tota civitate tumultum excitabant, perſuaſione ac petitione cujuſdam, nomine Demetrius aurifabri, ut hoc pacto decernerent & abrogarent prædicationes ejuſmodi & operationes miraculoſas D. Pauli, tam in curando, quàm aliter, quas efficiebat non ſolùm in illa ipſa civitate, ſed per totam Aſiam, exclamantes contra omnem veritatem & rationem: Maxima Diana Epheſiorum! ita perperam inferentes, D. Pauli Doctrinam erroneam & miracula ejus eſſe Diabolica. Nunquid propugnator hic & Athleta Chirurgorum (intelligo M. Foſterum) agit partes in omni puncto Demetrij illius Epheſij, quatenus conſpirat cum artiſtis vocationis ſuæ paternæ, ad excitandam totam civitatem, imò & regionem ipſam, ut murmurent & doleant, actu virtuoſi illius doni, quod Deus Vnguento armario impertivit, & exclament contra eos, qui eo utuntur ad Dei gloriam & proximi *Euexian*, eò quòd deroget ac decerpat de emolumento & queſtu à vocatione Chirurgorum. Nonne Demetrius ſub prætextu zeli & religionis erga falſum & Ethnicam Deam Dianam, derogabat, quicquid poterat de honore & Gloria Ieſu Chriſti, idque præcipuè ſocietatis aurifabrorum commodi & queſtus gratia? Et, an non M. Foſterus conſimili modo ſub umbra hypocritica, ſeu ſynceritatis velo, aſcribit poteſtatem ſanandi per Vnguentum armarium Diabolo, falſo Deo hujus mundi: atque ita faciendo derogat & decerpit de Divino honore ac virtute veri Dei, qui fecit cœlum & terram, ut inde inficiat & intoxicet opiniones virorum virtute præditorum ac bene ſentientium, & à veritate eos diſtrahat falſis ſuis perſuaſionibus, prout Demetrius agere conabatur cum honeſtis Epheſijs: Nam, quatenus ille factione ſua Chirurgica videtur exclamare ad inſtar alterius Demetrij: Magnus eſt noſter Æſculapius ſeu Chirurgorum Deus, & ejus inventiones Balſamorum, Emplaſtrorum & Vn-

Act. 19.

guentorum: & consequenter Diabolicum est Vnguentum armarium, quod persanat omnia vulnera miraculosè ad intetvallum & non per contactum: Nonne Galenus similiter invehebatur in Christum, ejusque discipulos, eò quòd sanabant in tam miraculosa distantia, idque sine ulla oculari demonstratione? Et cur? Ratio, quia non poterat curare spiritualiter in distantia, sed solummodo grosso modo ac contactu immediato.

Itaque si in modum Agoranomi Ephesij verbis rationis & veritatis quærā ac coner placare rumores iniquos injustos & Zelos super vacaneos ab hoc nostro spongifero Demetrio excitatos, & cū verbis veritatis ascribere illud Deo Patri & Filio ejus Iesu Christo, qui spectat ad eum, ac renuntiare palam diabolo ejusque ministris omne bonum, ac ob id quamlibet salutarem sanationem spectare & pertinere ad Deum Crearorem omnium, nec verò ad ullam vilem creaturam, multò minus ad diabolum. An (reris) aberro? Nonne, quæso, erat ab hæc ipsa verba Pauli, ut in concione ejus Athenis, Demetrius ejusque artifices usque adeò commoverentur & conturbarentur.

Act. 17.24. Dominus, inquit, qui fecit cœlum & terram non habitat in manu factis templis, nec colitur manibus humanis, ac si ullius rei indigeret, siquidem omnibus dat vitam, inspirationem & omnia: Ex uno sanguine omne genus humanum condidit &c: Nam in ipso vivimus, movemur & sumus: Nam sumus etiam ejus generatio &c: Quatenus igitur sumus generatio Dei, non existimare debemus, Deitatem auro & argento similem esse, aut lapidi arti & inventione humana exsculpti.

Indignabundus hic Demetrius ejusque assecłæ, nimirum Deitatem non esse auro vel argento arte exsculpto similem; quod si tulissent, nemo attulisset idola Dianæ ab ipsis efficta. Simili modo factio hæc Chirurgica proclamat Vnguentum armarium, verentes ne pauci vulnerati adhibituri sint eos in curam, cùm frustra fiat per plura, quod fieri potest per pauciora: Vanum esset vulnerato torqueri percussionibus, erodentibus corrosivis, incisionibus ac dolorosis tentarum impositionibus, præter insignem contractum & pacta pro curationibus, & forsan & jam parum inspectionis ac curæ à Chirurgis, quando actus Divinus immediatus operatur illud gratis; suaviter, si ne tentis dolorosis aut incisionibus gravibus, idque honestè absque ulla mala conscientia: Si quidem Dei est spiritus, qui æquè in sanguine ac unguento operatur: Nam (obsecro vos) observetis verba D. Pauli, quæ si commoveant aurifabros Ephesios, multò magis stimulabunt Chirurgos ejusmodi tenaces, quibus virtutem hanc excellentem & Divinam in Vnguento armario strangulare & suffocare animus est, cujus originale est sanguis. Quæ verba, ut majori cū soliditate concipiatis, coligatis ex ijs & coacervetis necesse est hæc tria distinctè: Primò, Dominum esse, qui creavit cœlum & terram: Ex quibus colligimus, eum, qui condidit cœlum & terram esse conductorem & operatorem & in spiritu & in corpore tam majoris, quàm minoris mundi, id est, hominis: Ac propterea nec saga nec Diabolus operari potest ad sanitatem, sustentationem & præservationem utriuslibet, prout consequens confirmabit: Nam, Textus ait, dat vitam inspirationem & omnia: Deinde formavit omne genus humanum ex uno sanguine & Spiritu: Ac proinde operatur omnia in omnibus, & in sanguine humano generaliter, tam ad vitam, quàm ad sanitatem: Atque iterum: Spiritus ossium hominis mortui, & per consequens eorum excrescentia, quæ originaliter ortum suum. ducit ex sanguine humano, in quo ex parte Dei, Spiritus vitæ delitescit, homogeneam habet relationem ad sanguinem hominis viventem: Nam, quatenus Textus dicit, omne genus humanum esse ex uno sanguine solummodò; ac propterea hæc unio symphoniacæ aut sympatheticæ harmoniæ per M. Fosteri phantasticam activitatis sphæram non facilè limitatur: Nam Textus sequens ad Athenienses est, in ipso vivimus, movemur & sumus: & ultimò, nos esse generationem Dei, & hanc ob causam Christus nos fratres suos vocare ac filios Dei non dedignabatur: Nec sufficit dicere (ut præcisi illi assolent) hoc tantum intelligi de credentibus, & non de infidelibus: Nam D. Paulus in eo ipso tempore, cùm prædicaret hanc Doctrinam, loquebatur ad Idololatras, & alios, Deos ignotos adorantes, ac tantum ipsos scire voluit, nimirum ipsos vivere, moveri ac esse in vero Deo, & hunc Dominum dare vitam, inspirationem & esse, & eos esse omnes ex Dei generatione Totum hoc veré docebat, ut inde dimissis ac relictis Dijs falsis converterent se ad verum Dominum & solum Deum, à quo, per quem, & in quo sunt & persistunt in sua essentia, pro ut alibi declarat. Rom. 12.32.

E memoria igitur excidat Demetrij illius Dea Diana & curativus Fosteri Diabolus, privetur omni potentia imaginaria & praxi in curandis vulneribus: Ac tandem expectationes omnium Chirurgorum avarorum, prorsus exsibilentur & annihilentur per inviolabilem hanc Apostoli assertionem.

Et si sint, qui vocántur Dij vel in cœlis vel in terris (ut ibi sunt multi Dij & Magnates ac satrapæ) nobis tamen unus Deus, qui est Pater ille, à quo sunt omnia & nos in ipso; ac unus Dominus Iesus Christus, 1. Cor. 8.5.

ſtus, per quem ſunt omnia, & nos per ipſum: Sed quiſque non habet cognitionem illam.

M. Foſterus notet hoc probé: Ac ſi diceret: Licet Demetrius Epheſus cum ſuis aſſeclis tribuebat omnem potentiam fictitiæ deæ Dianæ, & Foſterus ſecretam & mirandam potentiam curandi per unguentum armarium Diabolo, ut Principi hujus mundi, ſine ulla hujus Textus conſideratione: Tamen conſtat eſſe Deum Patrem, à quo ſunt omnia, ac per conſequens, hic actus in curando (& per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem ſunt omnia) & ob id quodlibet benedictum Donum ſanationis: Nam Salomon aſſeverat, eſſe mundum, qui curat omnia: Sed, inquit Textus, quilibet non habet illam cognitionem &c: Quare M. Foſterus eò magis incuſandus, qui profitendo nomen Miniſtri Dei, in hoc puncto imperitus eſt, vel ad minimum, ſi ſciret, in reprehenſionem juſtam incideret & apud Deum & apud homines, ut qui tam ob tuſé loquatur, & contra conſcientiam ſuam, ullius privatæ ſocietatis aut mundanæ affectionis cauſa; imò facile apparet, illum turbatum fuiſſe tunc conſcientiâ ſuâ, cùm tam hæſitanter & inconſultè ſcriberet de originali cauſa hujus curationis: Nam primò omnium pagina 8. dicit, non eſſe unguentum, quod curet, ſed Diabolum, ſecreta ſcilicet applicatione medicinarum reliquarum: Alibi, nimirum pagina 17. agnoſcit, actum curandi eſſe Vnguentum, ſed concludit eſſe Magicum ratione ſuperſtitioſarum obſervationum in collectione ingredientium & inperunctione armorum. Tandem pagina 39. videtur aſſeverare, eſſe ablutionem vulneris ex urina & ſedulam diligentemque intuitionem in præſervanda illius munditie, quæ perficiat hanc curã. Quibus verbis adimit huic unguento omnem virtutem & actualẽ potentiã à Diabolo: Sed pagina 7. Dicit, eſſe Deum ſolũqui curet ad ejuſmodi intervallum, quatenus ejus eſſentia eſt infinita, & eſt omnia in omnibus, nec verò ullum Angelum: Bonus vir, ut videtis, eſt in varijs opinionibus, Deus ipſũ revocet & cerebellum ejus magis reddat tranquillum & conſiſtentiæ ſolidioris atque naturæ conſtantioris, alioqui compluribus verbis in poſterum turbabimur; ſed parum ad rem. Audio, illum volumine impietatum nonnullarum mihi minari, quas in operibus meis reperit. Equidem hoc certum atque perſuaſum habeo, illlum Merſemium illum ac Gaſſendum duntaxat ſuam ſimiam vel pſittacum relaturum: profitetur, enim illos magiſtros ſuos: Quapropter quàm citò idem ei condimentum ſeu reſponſum præbebo ac ſuppeditabo, quod illis exhibui. Appareat modò, ſi audet, etiam munitus quovis ſatellitio, quod domeſtici ejus aſſeclæ præſtare ipſi poterunt, equidem nec ipſum moror, nec Marſenuum, nec Lanovium, nec Gaſſendum magiſtros ejus papanos: Nam eſt mihi (ut ſpero) veritatis ſcutũ pro defenſione mea.

Iam progrediar ad caput proximé ſequens, in quo expreſſurus ſum Hiſtorias nonnullas quarundam curationum Magicarum, quæ ex mea opinione multò ſunt admirabiliores his unguenti armarij.

CAPVT. VI.

In hoc capite nonnulli effectus magnetici ſeu ſympathetici exprimuntur, qui multò admirabiliores apparent his unguenti Armarij.

SIr Nicolaus Gilbourne in epiſtola ſua retulit mihi hæc verba: Nuper (inquit) archillis quædam, Domina Balegli erat in Eaſt well. Domi Comitiſſæ de Winckelſey: Nobis in ſermones aliquos incidẽtibus Vnguenti armarij, ipſa mihi narravit, maritum ſuum proximé defunctum, ſir Walther Raleg ſubitò ſiſtere ſolitum hæmorrhagiam cujuſvis vulneris humani (etiam ſi longe vel procul ab illo abſit) ſi haberet ſtrophium ſeu ſudarium, vel aliam quandam lintei particulam ſanguini hominis ad ipſum miſſo intinctam: Si hoc fiebat arte Diaboli, equidem exiſtimo virum uſque adeò ſapientem, qualis erat ſir Walther Ralegh vel relicturum illud, vel ad minus non exerciturum fuiſſe eam curandi ſeu potius ſanguinem ſiſtendi rationem.

Quatuor ad huc ſunt hiſtoriæ, quas vobis relaturus ſum, quarum duæ priores exoticæ ſunt; duæ poſteriores actæ fuerunt inter Domeſticos, nimirum Anglos.

Prior ultramarinarum Hiſtoriarum contigit in Italia, ibique uſque adeò famoſa ac notabilis fuit, ut ad hoc præſens uſque ſit inſtar fontis in ore incolarum, ut ex relatione eorum habemus, qui per illas regiones iter fecerunt; imò dantur etiam authores bonæ notæ, qui illa actu ſcriptorum ſuorum monumentis mandaverunt. Res ita ſe habebat. Erat quidem Magnatum apprimé nobilis Italus, qui caſu fortuito naſum amittebat in prælio vel conflictu: Huic Nobili conſulebatur ab ejus medicis, ut, arrepto aliquo ex mancipijs ſuis, vulnus in ejus brachio infligeret & è veſtigio adjungeret naſum ſuum vulneratum ad brachium vulneratum mancipij ſui, idque firmiter conſtringeret ad tempus

dum caro unius uniretur & assimilaretur alteri. Nobilis ille consensum adeptus est alicujus mancipiorum suorum pro amplo promisso libertatis ac præmij : Duplicata caro uniebatur & eadem similisque facta erat, & portio carnis exscindebatur ex brachio mancipij ejus ac instar nasi Nobili illi efformabatur, atque ita à chirurgis tractabatur & aptabatur, ut verum ac genuinum nasum referret : Mancipium hoc modo post curationem & remunerationem manu mittebatur, atque Neapolin discessit : Accidit autem, ut mancipium morbo laboraret & moreretur, quo ipso momento nasus nobilis prædicti gangrenâ conceptâ putrescebat. Exinde pars seu portio nasi, quam ex mortuo possidebat ex Consilio Doctorum abscindebatur, atque ipse animo alacri experientiâ antè dictâ, sequebatur consilium ejusdem medici, hoc est, ut more consimili vulneraret proprium suum brachium & applicaret vulnus naso suo vulnerato ac mutilato, & patienter perferret, dum omnia essent completa, ut ante: Ipse animositate ac patientiâ subibat periculum, atque ita nasus continuabat cum ipso ad mortem usque.

Quid? An existimare nos oportet hoc opus actum Spiritus Dei in homine, aut deceptoriam ac præstigiosam operationem ac impostaram Diaboli? Iudicabitur id herclé à sapientibus necessariò ab illo benigno actu Spiritus vivificantis Dei procedere, qui operabatur per viam vitæ ac vegetationis in utroque non ergo mirum est (uno vivente Bulongniæ in Italia atque altero degente Neapoli) quòd juxta M. Fosteri dogma nec excelsi & sublimes Hetruriæ montes, nec etiam altissimi Appenini montes possent sistere concursum & motionem duorum horum spirituum, seu potiùs unius spiritus, in binis corporibus continuati, ad instar funiculi à duabus extremitatibus extensi à distantia tam longinqua : Certé M. Fosterus dicet, hoc esse Magicum ac Diabolicum.

Secunda ultramarina Historia hæc erat.

Cùm Romæ degerem, societatem inieram cum erudito admodum & artificioso homine, dicto M. Graterus, natione erat Helveticus, ob insignemque in Mathesi & in arte motionum ac inventionum Machinarum peritiam, in magno erat pretio apud Cardinalem S. George, Generosus hic, optimum me docuit artificij mei in ejusmodi praxibus : & inter cætera tradebat mihi hoc experimentum Magneticum, tanquam magnum secretum, certum faciens me, probatum esse in patria sua super multos felici cumsuccessu. Quando (inquit) aliquis membrum habet extenuatum & gracile, aut alio modo consumptum, ut brachium exsiccatum marasmo, crus, pedem, vel simile, quod medici vocant Atrophiam lumborum : Exscindas necesse est ex illo membro, sive sit pes sive brachium, ungues, pilos seu partem aliquam cutis, tuncque salice perforata terebrâ ad medullam arboris usque, foramini imittes abscissos ungues ac cuticulas & cum paxillo ex eodem ligno facto, obtura : Observando semper, ut in hac actione luna crescat lumine & boni planetæ sint in signo multiplicativo, ut Geminis & fortunati & potentes super saturnum, qui magnus est siccator. Eundem effectum (inquit) in te deprehendes, si unguibus ac pilis à membro exsectis inclusseris radici Corgli, claudatur probè foramen cum arboris cortice & tum posteà terra cooperiendo; & (inquit ille) probatum est experientia, quòd, ut arbor quotidiè crescit ac floret, sic etiam patiens sensim sanitatem recuperabit : Sed diligenter observes, necesse est motum corporum cœlestium ac inprimis solis & Lunæ, cùm hoc peragitur. Et pro hoc scopo, aperiebat mihi tempus commodum, quando nimirum præparatio ad ejusmodi curationem fieri deberet. Sed proh dolor! Quid feci? Sufficit jam M. Fostero, ut exclamet, hoc esse Magicum.

Ecce hîc superstitio in summo gradu! Nunquid dicebat pagina 7. esse Astrologicum, ac ob id superstitiosam observationem, ullum colligere ingrediens aut quidvis exsequi, attendendo & expectando, quando Luna esse deberet in tali aut tali domo cœlesti; & ex scripturis Astrologos, Cacomagos & veneficos ad instar avium unius ejusdemque plumæ conjungi atque in unum fasiculum colligari.

Dignum sanè expletum in generoso hoc urbano! ejus cæcitas ducit ipsum ad hoc, ut etiam in cæteris : Nam, primò concludit, omnem Magiam generaliter esse damnandam ac Diabolicam, quia una species seu potius membrum ejus, meritò exilio committendum é memoria Christianorum : Ac si non esset Magia naturalis, per quam Salomon cognoverit omnia in natura mysteria eorumque operationes; imò, ac si tres sabæi divulgassent ac revelassent verum Iudæorum regem natum esse per Magiam Diabolicam.

Quid nunc? M. Fostere; an hi tres sapientes Cacomagi erant, vel quales approbat scriptura, & nos Christiani celebramus festum in memoriam eorum?

Vera

Vera monachi Merſenni ſimia ! nam damnat omnem Magiam ſine ullis ſpecierum exceptionibus , atque ita non meminit , Magum lingua Perſica eſſe ſapientem ſeu ſacerdotem : & pari modo bonus hic vir more magiſtri ſui damnat ac reijcit omnem Aſtrologiam , ejus membri gratia , quòd veré ſuperſtitioſum ac illicitum eſt , non conſiderando , veritatem in utroque , tam in Magia , quam in Aſtrologia falſo contaminatam & in abuſum raptam eſſe à mundanis ſuperſtitioſis , atque hinc cauſam proceſſiſſe , bona in oculis imperiti abhorreri ac damnari , cum malis , malorum gratia : atque hunc in modum bonitas abſorbetur ab hominibus nauci per tenebras ſine ullo omnino diſcrimine.

Scire igitur vellem antagoniſtam noſtrum ſpongiferum , quatuor eſſe Aſtrologiæ ſpecies in genere. Prior verſatur circa aëris mutationem , & prædictionem tempeſtatum , morborum , caritatis annonæ , ſeu fertilitatis &c: Secunda prædicit alterationes ac mutationes ſtatuum , ut etiam bellorum ſeu diſpoſitionis pacificæ in mentibus hominum. Tertia interpretatur electiones temporum & nativitatum : Vltima dirigitur ad fabricandos Characteres , ſigilla & imagines , quæ , eò , quòd ſe ipſam miſcet cum actionibus ſuperſtitioſis & facta eſt ſeu deflexit in inſtrumentum ad abuſum & ſcandalum impiorum hominum , ac præcipuè , quia inſinuatio Diabolica ad vitium & impietatem , facilè deprehendi poteſt in illa ab omnibus veris Chriſtianis , repudianda ac pro illicita eſt reijcienda. Quid ? An Scriptorum Calendariorum ſcientia ob haſce Foſteri noſtri exceptiones , abroganda? An medici cogentur relinquere ac negligere horas Electionis ſuæ in Colligendis ſimplicibus , aut ſanguine mittendo , aut ſecandis capillis atque unguibus , aut ſiſtendis Laxationibus , aut ventrem reddendo fluidum propter tanti viri dehortationem ? Nonne amicus medicorum aſſeverat , cœli influentiam juvare poſſe operationem medicinæ ? Nam (inquit ipſe) ſæpenumerò laxativæ medicinæ ab imperitis medicis adminiſtrantur ſub influentia cœli operante contrarium , ſeu ſtipticum effectum , atque ita impediuntur: ſimiliter inquit : Quandocunque medicina datur ad ſiſtendum , cùm cœli influentia eſt lubrica & laxativa & tunc perdit effectum ſuum medicina. Et hanc ob cauſam Halij refert , medicus Aſtrologiæ imperitus , ſimilis eſt cæco , baculo viâ exploranti. Et Ptolomæus , bonum aſtrologum avertere poſſe multos effectus ſtellarum futuros. Nonne Galenus & Hippocrates ſatis ſuperque verba faciunt in ſuis Criticis tractationibus de neceſſitate obſervationis Lunæ motus ? Sed ut tranſeam hæc.

Quid dicemus ad Agricolæ obſervationes temporum , tam in ſerendo , quàm in metendo ? Si hoc non ſufficiat ad adverſarij noſtri violentiam ſiſtendam & compeſcendam , veniemus ad ſacræ ſcripturæ teſtimonia pro confirmatione tam electionis temporum , quàm ad probandum , influentias cœli operari tam benignos , quàm malignos effectus. Quod ad primum , dictum eſt : Eſt plantandi tempus & tempus extirpandi , quod fuit plantatum , eſt tempus belli & eſt tempus pacis &c. Et ſyracides : in bono die , inquit , fruere eo , quod bonum eſt , & cave à maligno die , ut Deus unum creavit , ſic etiam alterum ordinavit : & D. Paulus vult nos indui ſcuto Dei , ut poſſimus reſiſtere Diabolo in die infortunato : Iam igitur , ſi Stellæ ſint diſtinctrices ac duces temporum , ut Moyſes nobis perhibet , influentia ſané ſive ſit bona ſive mala , pro illis , bonos vel malos facit Angelos habere plus minusve Dominij ſuper creaturis : Eſſe autem malas influentias de deſuper , verba hæc Davidis teſtantur : Deus eſt cuſtos tuus , Sol non percutiet te diurno tempore , nec Luna nocte : Nonne verò eſt in vulgus notum , Lunam eſſe cauſam Epilepſiæ ? Vbi planiſſimis verbis in Evangeliſta dicitur , poſſeſſum illum , fuiſſe lunaticum? Similiter eſſe bonas influentias de deſuper hoc Iobi Textu arguitur : Potes ne intercipere jucundam Pleiadum influentiam , aut Orionis vincula ſolvere ? Poteſne producere Mazzaroth in ſuo tempore ? Poteſne etiam conducere arcturum cum filijs ejus ? Noſtine curſum cœli ? aut potes regulam illius terræ apponere ? &c: In hoc ſiquidem Textu beneficarum ſtellarum influentiarum , mentionem fieri invenimus : & hîc etiam expreſſé notatur , cœlos potentias ſuas habere ſuper terras.

Eccleſ. 3. Eccleſ. 7. Epheſ. 6. Pſalm. 121. Iob. 38. 21.

Audacter itaque affirmo , omnem Aſtrologiam non interdici nec vetitam eſſe , quatenus obſervatio ſpecialis haberi poteſt à ſapientibus de influentia Stellarum : & pro hoc ſcopo , horæ electiones ſunt debito modo obſervandæ , juxta hanc vel illam influentiam , quæ operi noſtro maximé conveniens ac propria eſt. Iterum , quandoquidem , M. Foſterus aſpernari videtur 12. ſigna Zodiacalia & eſſentiales eorum operationes ſuper terras ; videat , eos , qui notas ſuas allaterales fecerunt ſuper Textum , interpretari verbum ſeu vocabulum Mazzaroth , quod ſignificet 12. ſigna , quæ poſſident 12. domos cœleſtes ; quo conceſſo , obſerva concluſionis Textum : Poteſne regulam apponere terræ ? Ex quibus conſtat , 12. ſigna habere regulam ſpecialem ſuper terram & creaturas inſuper , idque per Dei deſtinationem & ordinationem.

Ex hoc manifestum redditur, non esse superstitionem Cacomagicam in observatione temporum, dierum seu horarum, in quibus hæc vel illa stella dominium habet pro colligendis ingredientibus aut pro præparatione & adaptatione medicinarum aut aliarum rerum curationi humanæ aptarum, ut M. Fosterus siniſtrè asseverat.

In hujus autem membri conclusione discernere licet per experimentum anteà dictum, quando vis vegetativa plantæ operatur in partibus excrementitijs membri cujusdam tabidi seu marcore consumpti, non aliter, quàm unguentum in sanguine amputato, & quomodò spiritus Vnguium illorum, & crinium ac cutis participet cum illo membri Gracilis & extenuati, non secus ac ille in sanguine Vnguenti cum spiritibus cruentis vulnerati, vel ac excrementa urinæ cũ sanguine icteritia infecto, ut vobis dicetur in posterũ, alioqui non possent conferre aut expirare spiritum vegetantẽ plantæ ad membrũ affectũ, nec etiã posset spiritus in membro deficiente seu magneticé affecto, attrahere spiritum vegetantem plantæ ad se, ut additione potestatis ejus, possit eò citius prosperati ac convalescere.

Communiter inter nos observatum est, imò & familiare in vetularum praxi, si frusto bubulæ recẽtis, probè perfricentur verrucæ, sive in manu sive in membro quodam alio, illudque terræ inhumetur, verrucas paulatim decrevisse, prout bubula putrescit in terra, idque si homo, qui verrucis infectus est, degat procul à loco, ubi bubula inhumata est ac terræ mandata. An necesse est, hoc curandi genus, etiam sit Cacomagicum seu diabolicum; imò Herclé æqué ac reliqua, siverum illud sit, quod M. Fosterus ejusque asseclæ asseverant.

Possem equidem memoriæ cujuslibet lectoris tradere solitas illas conclusiones in magia naturali, quæ probè ponderata, ut opinor, satis superque quovis sapientis judicio manifestarent, quàm procul abessent ab ulla diabolica praxi aut commercio; sed, quia vereor, ne sic faciendo tædiosior quàm delectabilis sim cuilibet curioso, venio breviter ad duas historias domesticas, quas vobis anteà sum pollicitus.

Prima domesticarum nostrarum historiarum est hæc: in hoc præsenti, Generosa Honesta ac religiosa degit Londini, quæ herbam dictam rosam Solis quæ circum circa parvas habet siliquas, quæ apetiri ac dilatari & contrahi iterum possunt, immittit aquæ plantaginis & clauditur illa atque contrahitur. Ista igitur Generosa, cùm fœmina in puerperio laborat, propinat ei parum aquæ plantaginis, & licet parturiens videatur obstetrici omnium promptissima ad edendum fœtum: tamen si generosa dicta percipiat vegetabile contractum, concludit eam falli, nec rem ita se habere, atque ita exitus ostendit sané. Hæc historia referebatur confirmata à Doctore honorifico & ejus Pharmacopola, qui asseverant, quasdam obstetrices hoc tempore, in usum adhibere naturalem hanc conclusionem.

Iam verò non ignoro equidem, D. Fosterum dicturum, & hoc esse diabolicum & superstitiosum. Bone Deus! quid hic vir relinquet ascribendum & attribuendũ Soli actori, in omnibus operationibus, tam vulgaribus, quam mysticis, cùm nihil sit occultum, aut rarum in hoc mundo, quod superior hic diabolis actor, quàm ego sum illi inferior veneficus, ut me vocat, non attribuit magistro suo Diabolo, ita ut Deus saltem agnoscendus sit agere in rebus vulgaribus ac visibibus: Sed quod omnia attinet occulta mysteria, eorũ activitas procedat necesse est à diabolo, & illi soli tribuatur. Denique cernimus admirandam quandam sympathiam inrer vegetabile, minerale ac animale, & partes corporis humani, ut: Forfara formata ad instar pulmonum conducit pulmoni: Herniaria rupturæ: Hepatica hepati, Euphrasia oculis. Atque iterum inter mineralia aurum pro corde & argentum pro cerebro, sulphur pro pulmonibus; ferrum pro splene, si ad diaphragma seu splenis regionem gestetur. Et cur non herba eandem haberet relationem ac correspondentiam in natura cum matrice, idque ratione aquæ plantaginis quæ communicabat naturam unius cũ altero, aëre existente communi mediò.

Posterior domestica historia est hæc: Est nobilis vir in hoc regno, non mediocris ac vulgaris familæ, tituli ac juris, inter Nobilitatem Anglicanam, sapientissimus, gravissimus, ætate provectus ac religiosus generosus, inquam, qui ultra centenos suo tempore aurigine liberavit, patiente distante seu absente per 10. 20. 30. 40. (imò verò, ut ille atque alij retulerunt) feré 100 milliaria ab ipso: & eorum complures, quos ita curâtat diu conflictati sunt sub duro onere hujus morbi, antequam ad ipsum acciderent; ita, ut administratio receptorum vulgarium medicorum vix superare morbum posset: Vtrunque præstitit ille per servos suos domi, & communicavit secretum quibusdam amicis foris degentibus, inter quos me collocare ipsi libuit: Vrina igitur patientis ad hunc Nobilem mittitur: modus ejus curandi hic est, recipit cineres ex lignis vulgariter notis & provenientibus hîc inter nos in Anglia; Pastam conficit ex hoc ligno cum urina, reservando parum urinæ pro alio scopo: hæc masla ita subacta & confecta cum urina dividitur in 7. vel 9. globos seu magdaleones, additque ijs modicum urinæ restantis & illis partibus urinæ croci filum applicat. Atque ita sine ulteriore negotio collocat globos seu bolos in locum aliquẽ secretum, ubi commoveri non possint, ne curatio impediatur. Et experientia docuit mundum, quam plurimos ictericos vel arquatos & aurigine infectos, persanatos fuisse medijs hisce simplicibus,

plicibus, & hoc vel millibus notum, Deus bone! Quàm diabolica videbitur hæc medicina, perpuris ac castis M.Fosteri oculis. Evestigio exclamabit, hoc est abominandum & veneficium diabolicum, & illi venefici ac conjuratores, qui utuntur eo! Mitte verò convitiari ac calumniari hunc virum: est enim ipse talis, qui carbones non perfert, sed castigabit quamlibet immodestarum tuarum contumeliarum. Quid? in quam, An diabolus in ægroti urina latet, aut inest ipse ustis ligni cineribus? (dicunt sagarum supellectilem combustam evanescere facere omnem potestatem Magicam) an verò in Croci filamentis, quæ urinæ immerguntur? minimè verò, sed potius in ipsorum conceptibus, qui ita somniant: Certum enim est, plantam ac crocum occultas possidere proprietates ad icteritiam curandam. Totum igitur mysterium hujus curandi modi spectat ad relationem, quæ est inter sanguinem infecti & serum sanguinis, quod secum defert partim aliquid naturalis Solis ac sanguinis tincturæ & partim aliquid reliquiarum humoris icteritij, qui reddit urinam coloris tam flavi. Spiritus sanguinis ergo cum agẽte suo delitescens in tinctura & sale, qui est in aqueo seroso excremento, ac sepultus in terra medicinabili illa, seu cineribus, in quibus Sol plantæ residet, vel excitatus per continuationem, quam cum spiritu illo vitæ habet, qui adhuc habitat in venis hominis infecti. Quapropter urina imbibita & mixta terræ illi medicinali, ac contemperata croco, vivificus ægroti spiritus, tendens ad vitæ præservationem, adjuvat simile quoddam in urina, & similiter exsuscitat ac revivificat illum in sale cinerum ad agendum & conflictandum contra humorem ictericium in urina, qui cedens, ac paulatimque sensim victus, simile facit in corpore affecto emori ac evanescere. Præterea spiritus in sale delitescens & excitatus partim per excitatum planta spiritum, & partim per spiritum ægroti emanantem mittit vel post se relinquit & reportat proprietatem curativam toti canali sanguinis.

Relinquo hoc considerationi magis seriæ eruditi, qui melius judicare novit de occultis & abstrusis operationibus Spiritus Dei incorruptibilis, includendo omnia hisce Apostoli verbis: Deus operatur omnia in omnibus: & ex eo, per ipsum, & in eo sunt omnia ac tandem: Dij sunt, qui dicuntur in cœlis & in terra; nobis autem unus Pater, à quo omnia & nos in illo & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum. Quare vanè & ineptè dicitur à M.Fostero curationem Vnguenti armarij effici per diabolum inimicum Iesu Christi, & non per ipsum Christum cùm Iesus sit solus Servator, sanator & curator & animæ & corporis, qui, ut omnes potestates ac potentias habet sub dominatione sua, solet incitare Angelos suos bonos, ut bonitatem operentur, & non malignos Angelos, quos ordinaverat ad officium contrarium prorsus. Non dicam hanc ejus assertionem genus esse blasphemiæ, sed nihilo est melior: ad minus notabile est, idololatriæ genus, bona Dei opera ascribere actui essentiali pessimi ac nequissimi omnium ejus creaturarum, quem Deus constituit pro usu omnimodè diverso, nimirum ut esset flagellans ac destruens ejus minister seu Angelus.

1.Cor.12. Rom.1. 1.3 im.6. 1.Cor.4.

Iam progrediar ad particularem defensionem propriæ meæ doctrinæ, expressæ in mystica mea anatomia, contra quam M. Fosterus tam acerbè invehitur & tanta cum confidentia instar galli canit ad proprium stercorarium, antequam habeat occasionem, & sibi glorioſè palmam vendicat, & proclamat Trophæum propriæ laudis, antequam victoriam obtinuerit. Exitus acta probat: nam veritas peripherijs verborumque phaleris suffulciri opus non habet. Tutius fuisset M. Fostero, si me prius loquentem audivisset, ante-quàm me publicè dente Theodino rosisset, & exposuisset titulos libri sui postibus seu ostio meo in mei infamiam; an discretè ab ipso actum fuerit nec ne, relinquo mundi censuræ liberum: atque ita transgredior ad ultimum tractatus hujus membrum.

MEMBRVM TERTIVM.

In quo Author annihilat omnia illa argumenta & objectiones, quas M. Fosterus tam invincibili confidentia produxit, ad refellendam opinionem ejus expressam in anatomia ejus mystica, ubi probat actionem curandi per unguentum armarium esse mere naturalem & nullatenus Magicam & diabolicam.

PRÆLVDIVM HVIVS MEMBRI.

In quo author exprimit, adversarij sui convitia fundari super malitia, nec verò super ullo legitimo aut debito suo merito: Hîc etiam ostendit, Methodum processionis ejus in hoc membro cum ratione ejusdem.

QVilibet judicio pollens lector ex M. Fosteri scandalosa vehementia adversus me ob compositionem subjecti hujus membri in Anatomia mea mystica discernere potest; potius illud oriri ex malitia & livore adversus me, quàm exullo meo piaculo seu merito, vel scandalo per me commisso vel contra ipsum (quatenus eum non novi) vel contra ullum alium: nam procul dubio non ad levem ejusmodi occasionem, ut breve hoc caput erat expressum in loco prædicto, convitijs me ita lacessivisset titulo Cacomagi, ut ipse fecit; & allegat prudentis sui magistri Monachi Mersenni authoritatem super hoc, ut authoris, æqué profundi in dicterijs ac vanis convitijs ac ipse: Sed cur, quæso, tunderet in me Mersenni verba scandalosa in hoc suo scripto, cùm videat, Monachum illum usque adeò dicterijs ac convitijs proscindi ab amico & athleta suo Gassendo, ut in responso suo, quod facit cum Gassendo ac Lanovio contra me, postquam in totum irretieram & illaqueassem eum, ob ejus stultitias, ne hiscere quidem contra me vel verbum ullum repetere auderet: quod ad prædicta convitia Magiæ attinet, quam in libro suo super genesin sine ullo fundamento, meæ committit curæ: Sed figit omnem suam invidiam ac malitiam in hoc responso, super quasdam impietates (ut intitulat eas) quas infirmiter admodum meæ tradit curæ ac provinciæ? Iterum, siquidem domesticus noster antagonista dicit, me excusasse memet ipsum à Magia in libro, dicto: Sophiæ cum Moria certamen: ac Lanovium dicere, cujus contrarium verum est; dicendum mihi est ipsi, minus decere virum ejus professionis proferre tale & falsitatem: nam Lanovius (licet modo pro virili sua malitioso) expurgat me illo crimine, allegans, meam imperitiam, seu insufficientiam in ejusmodi rebus causam fuisse, ut contrarium putaret ipse: Ac proinde hoc dicam necesse est calumniatori meo Anglico, Cameram esse Stellatam ad puniendas & mulctandas ejusmodi infamias, & per consequens forsam citiùs ex me audiet, quam expectat, nisi domet ac refrænet linguam suam calumniosam meliùs in posterum. Est argumentum, parum Philosophiæ, minusque Theologiæ sapiens, ultra modum convitiari & scandalizare sine modestia: nam Philosophia est sapientiæ amor, & sapiens inquit; fatui esse convitiari. Vicissim: omnis Theologia fundatur super amore & charitate; & Christi præcipua concio erat amare fratres & diligere proximos nostros, ut nosmet ipsos & exhortari nos, ne judicaremus fratres nostros præposteré: Sed, ut ad rem: an hoc nostrum caput (Lector judicioso) in quo censor noster tam strictam facit inquisitionem, & contra quod efformavit confutationem tam punctualem,

ctualem,continet in se ullum Cacomagicum opus,ob quod usque adeò censurarer acriter a nostro,præcipitis ingenij censore,vel in primo ejus limine? An discernis in eo quicquam,quod censorem nostrum incitare posset,ut faciat ac suscipiat tam scandalosam & minus Christianam ingressionem in inquisitionem ejus,ut inde rude ac laicum hominum genus me veneficum aut Cacomagum existimet. Quod ad emunctioris naris homines attinet, certum atque persuasum habeo, illos arridere. Sed nonne hoc invidiæ est argumentum, fundatum super nullum solidum fundamentum? Et nunquid ipse, tam ob immodicam suam invidiam, quàm ob alias res nonnullas cujusvis boni Christiani commiseratione dignus? Nam, quid in se possidet, quod mereri possit invidiam, cùm in Epistola sua ad lectorẽ confiteatur, se esse infra invidiam? Equidem, quod ad me, necesse est consentiam cum opinione totius mundi ac dicam me malle invidiam ferre, quàm commiserationem: Sed, ut ad rem nostram. Subjectum hujus capituli citatum à me in anatomia mea mystica, est solummodò discursus relationis naturalis ac magneticæ,seu attractivæ & sympatheticæ conferentiæ,seu comparationis,quæ observatur esse inter duas distinctas substantias naturæ consimilis, sed in distantia loci differentis, ut inter Magnetem & ferrum, inter sanguinem & salem ejusdem naturæ, in quo spiritus vegetans utrique communis commoratur ac residet occultè: & notes etiam oportet hîc (lector candide) me in hoc particulari anatomiæ meæ mysticæ libro pertractasse proprietates secretas & occultas sanguinis spiritualis seu interni in externo, citando simul pro ingenij mei captu effectus harmonicos, quos operatur tam per contactum seu palpationem immediatam, quàm ad intervallum. Equidem scire vellem, ubi & in quo offenderim sic faciendo, vel quomodò meritus fuerim offendiculosam M. Fosteri ingressionem in examinationem hujus negotij; vel, an in discursu meo naturali super hoc subjectum in medium proferam ullas præstigias Diabolicas, circulationes, veneficium aut Characteres vetitos & illicitos & similia? Quòd si nihil deprehendatis, quod spectet ad ullam ejusmodi Magiam Diabolicam, ferte sententiam vestram, an tale præludium ad hoc negocium fuerit honestum, decens, vel ullo modo ad rem pertinens in tractando. Quod ad usum Vnguenti hujus armarij, protestor coram Deo & homine, nec nunquam exercuisse illud ad hunc usque diem, sed in conscientia mea & ratione strictioris inquisitionis, quàm hanc ob causam ad illud verificandum adhibui, illud usque adeo liberum invenio ab ulla superstitione Diabolica (quam, Deus est testis, semper odio habui, ut etiam Diabolum & omnia ejus opera) & audivi tantum de operatione illius virtuosa, ut in posterum in invidiam scriptorum in humanorum ac blateratorum, contra illud & praxi ejus, usurus, ac licitum ejus modum defensurus sim, ut magis jam, quàm anteà unquam certioratus, esse benedictam Dei virtutem, nec ullum Diaboli actum, ut qui operetur in illo ad salutem & levamentum creaturarum Dei afflictarum.

Sed, ut ad rem nostram.

Tribus (quod ajunt) verbis rẽ peragã: nã jã prolixior fui in discursu meo præcedẽti. Sed antequã initiũ faciã, quæso,observes,lector benevole,quod spongifer noster est admodũ claudicans & imperfectus in interpretatione Textus mei distẽdẽtis se multũ à genuina ac vera natura, ut retineat sensum suũ propriũ potiùs, quã ut fideliter meam exprimat intentionẽ (ut decet herclé) in primò loco igitur exprimã vobis nudis verbis,plenũ & exactum scopum Textus mei Latini,quẽ voco assertionem meam, ac tum posteà in proximo loco expediam ejus expositionem seu collectionem: Hinc inde depingam efficaciam virtuosam

ſpongiæ ejus in abſorbendo, devorando ſeu delendo vim aſſertionis meæ: Tumque in ultimo loco extorquebo ſpongiam ejus, efficiendo, ut illa vi evomat iterum veritatem, quam devoraverat, ſeu potiùs, Obtexerat ſuo ignorantiæ velo. Atque hic erit mos noſter procedendi in dimicando contra monſtrum hoc lerneum & ſpongiam hanc verivoram.

CAPVT. I.

Hic probatur contra cenſoris noſtri aſſertionem

Primò, ſanguinem, adipem, carnes ac oſſa hominis mortui participare cum natura illa Balſamica, ſeu humido radicali, quod eſt in homine vivente. Secundò, equum poſſidere Balſamum, ſympathizantem cum illo hominis.

Textus meus nudus.

VIdemus, hoc unguentum conflari ex rebus utcunque concordantibus naturæ humanæ, & per conſequens magnum illud habere reſpectum ad ejus ſanitatem & præſervationem: Quatenus pro ejus compoſitione in principali loco habemus ſanguinem, in quo vitæ vis reſidet: Hic, inquam, eſt eſſentia oſſium hominis, excreſcens ex ijs in forma muſci, dicti uſnea: Hîc caro ejus eſt in Mummia, quæ componitur ex carne & Balſamo: Hîc adeps corporis humani, qui concurrit cum reliquis ad perfectionem hujus Vnguenti: Et cum omnibus iſtis (ut dictum) ſanguis eſt mixtus, qui erat principium & pabulum eorum omnium: Quatenus in ipſo eſt ſpiritus vitæ & cum illo anima lucida habitat, operans modo occulto: Ita, ut tota perfectio corporis humani concurrere videatur ad confectionem Vnguenti hujus pretioſi. Atque hæc eſt ratio, cur tantus ſit reſpectus ac conſenſus inter hoc unguentum & ſanguinem vulnerati: Nam admodùm neceſſarium eſt, ut ſanguis vulnerati eliciatur ex profundo vulneris &c: & hic eſt exactus textus mei ſenſus.

Iam videbitis, quanti illam exiſtimet.

M. Foſteri Collectio.

Vſnea ſeu oſſa (inquit Doctor Fludd.) mummia & adeps humanus (ingredientia ſpecialia) comprehendunt perfectionem hominis corporalem, atque ita apta & prompta ſunt ad conſolidandum, ratione Balſami naturalis quieſcentis in illis, ſympathizantis cum Balſamo hypoſtatico reſidente in homine vivo.

Fludd.

Videtis primùm, illum ſanguinem omittere, qui præcipuum eſt ingrediens, ac tum poſteà cum ego loquor de ingrediente illo Balſamico, quod Ægypti nobiles ex Balſamo naturali conficere ſolebant, & ſimilibus Bituminoſis atque unctuoſis, qualia ſunt inimica corruptioni, interpretatur illud juxta modum ſuum & ut ſibi ſatisfaciat, dicendo; me loqui de Balſamo naturali in homine, in unguento reſidente &c: Sed equidem ſcopum ſuum ipſi concedam, cùm notabiliter à meo propoſito & intento variare non poſſit.

M. Foſteri ſpongia ad delendam hanc meam aſſertionem.

Foſterus.

Nego uſneam ſeu oſſa, Mummiam, & adipem humanum, licèt medicinalia ſint, poſſidere ullum naturalem Balſamum ſeu humorem radicalem (ſic enim quidam vocant Balſamum naturalem) reſidentem in illis, ſympathizantem cum Balſamo hypoſtatico, remanẽte in homine vivente, niſi equus habeat Balſamum ſympathizantem cum illo hominis: Nam (inquit D. Fludd, quod moneo, ut probè teneat memoriâ) ſi clavus pungens equum, immittatur vaſi Vnguenti, equus curabitur: At dico, non eſſe talem ſympathiam inter equum & hominem, & ſi nulla ſit cauſa, ut credam uni, parum cauſæ eſt, ut credamus alteri.

Hîc ſpongia extorquetur.

Fludd.

Obſerves in primo loco, cenſorem noſtrum obliviſci, ſanguinem eſſe ex ingredientibus; Et tunc diſputat ex non conceſſis, ut anteà dictum: & tamen nihilominus viam ſuam ipſi concedam, & probabo omne, quod lingua ejus ſpongioſa protulit in deletionem ac extirpationem illius veritatis, quæ à me hîc fuit expreſſa, nullius eſſe efficaciæ, nec etiam ullius apparentiæ aut probabilitatis. Quare dividam hanc ejus confutationem in duos ramos ſeu membra, quorum prius offeret hanc quæſtionem, nimirum, an ſanguis, caro, adeps, & oſſa habeant ullum balſamum

ſamum naturalem ſeu humiditatem radicalem reſidentem in ſe, ſympathizantem cum balſamo Hypoſtatico remanente cum homine vivente? Poſterius continet hanc, an equus habeat Balſamum ſympathizantem cum illo hominis?

Prius ex his abſolutè negativum ſtatuitur à Foſtero noſtro; atque ego in confidentia certiore ſtatuo illud affirmativum, idque probatum dabotriplici via: primò ratione naturali; deinde authoritate paginæ ſacræ: ac tandem experientiâ communi.

In primo igitur loco Foſterum noſtrum diſcere vellem, quid ſit natura balſamica, antequam tam præcipitanter & præpoſtere creaturas cenſurare paret, illas deſtitui illa. Quare mihi ſignificandum eſt ipſi, nihil eſſe illam aliud, quam ſalem eſſentialem ac volatilem, qui ſcatet virtute vegetativa ac multiplicativa, quam de ſuper accipit, inſtar animæ pretioſæ ad vivificandum & animandum illud, quæ virtus eſt calidum illud innatum ſeu calor naturalis, cujus virtute omnis creatura vivens conſiſtit: & vehiculum volatile, in quo fertur, eſt humidum illud radicale, per quod & in quo dicta virtus movetur immediatè & agit ad vitam, vegetationem, ac multiplicationem. Operatione igitur horum eſſentiali activa ac paſſiva, vegetabilia & animalia manifeſtè; & mineralia occultè vegetantur & multiplicantur; idque tam in forma ſua ſeu igne naturali, quam in ſubſtantia. Atque hanc ob cauſam veri Alchymiſtæ vocant ſalem hunc myſticum, Sol Sapientum, quatenus in eo myſterium naturæ conſiſtit; & alij vocant illum verum naturæ balſamum, in quo totum naturæ myſterium conſiſtit. Hinc ſapientiores Philoſophi affirmant, quòd ſit in ſale illo, quicquid quærunt ſapientes: quod ad aëream partem attinet, eſt illa ſal volatilis, qui ubique in aëre aperto expanſus, eſtque puriſſima eſſentia ex & in aëre, in quo granum vitæ latet: ac proinde alij ſapientes dicunt: eſt in aëre occultus vitæ cibus &c.

Nec eſt etiam ſine cauſa myſtica & ſecreta, Servatorem noſtrum ſpecialiter Sal conſideraſſe, qui in loco aliquo dicit: Matth.5. Sal terræ eſtis vos, ubi intelligit hominem ſpiritualem, in quo eſt ſpiritus vitæ. Atque iterum: Sal ſi evanuerit, in quo ſalietur? nulli rei conducibilis eſt ultra, niſi, ut mittatur foras & conculcetur ab hominibus. Quibus conſtat, nihil eſſe poſſe, exiſtere vel eſſe ullius valoris aut æſtimationis ſine ſale hoc myſtico ſeu vitæ Glutine, ſed prorſus mortuum ac corruptum fore. Eſt Sal in ipſo ſtercorario ſeu fimo, qui terræ vitam atque animam præbet, quæ multiplicat granum in majore proportione, exſugitque ad ſe multò abundantius influentiam vitæ cœleſtem:

Poſtremò: ipſa eſſentia animalium ſanguinis, in genere conſiſtit in ſale hoc Balſamico: per illud corpus animatur, per illud caro, per appoſitionem, unionem & agglutinationem partium vivificatur, multiplicatur, ac ſucceſſivè præſervatur: per hoc in pane & carne creaturarum ſanguis in homine quotidie augetur: in hoc igitur eſt incorruptibilis vitæ ſpiritus, qui hominis vitam ſuſtinet, eumque à corruptione vindicat, ac niſi perficeret officium ſuum vivificum, homo cito putreſcet ac corrumpetur. Nam quid ſcripturæ tantum confirmant in compluribus locis, nimirum animam hominis eſſe in ſanguine: Iam verò certum eſt, ſpiritum hunc vivificantem, qui eſt donum Dei, cujlibet creaturæ (ut anteà probatum) eſſe verum operatorem, in hoc Tabernaculo ejus radicali ac humido, ſanandi, reſtaurandi, conſolidandi vulnera, adjutum ulla applicatione, vel reali vel virtuali contactu factâ. Idcirco ſequitur, hunc ſpiritum in ſanguine latentem, atque in pinguedine, oſſibus & carne humana, quatenus per illud ſubſiſtunt, ac primò animabantur, procreabantur, & multiplicabantur per illam, participare de hoc ſpiritu, qui ſcripturâ loquente, animat & ſanat omnia: Sap.16.10. Spiritus ſeu Verbum Dei, inquit Salomon ſanat omnia.

Levit.17.

At verò M. Foſterus inferet, hunc vitæ ſpiritum eſſe in ſanguine, adipe ac carne, cùm non ſeparatus eſt ab homine vivente: Sed poſtquam ſeparatus eſt, nihil poſſidet amplius vitæ aut eſſentiæ: Dixi ipſi & contrariù probani in demonſtratione mea philoſophica: Nam, ſine hoc Sale & ſpiritu vivente in eo, nec ſanguis, adeps, oſſa poſſent conſiſtere: Sed juxta illud Chriſti ante citatum nullius eſſent uſus. Viciſſim perhibetur in ſacris, ſpiritum vitæ eſſe in partibus eorum centralibus ſeu interioribus, etiam ſi non agat aut operetur ſed quieſcat in centro, ut anteà planè declaravi: Nam alioqui cur diceretur: Omnimodò abſtinebis ab eſu ſanguinis & adipis. Atque iterum: non recipies in Lev.3. cibum tuum ſanguinem creaturæ. Atque Lev.7. iterum: ſanguis feræ ſeu volucris interfectæ in venatione, in terram effundi debet: Lev.17. ac ratio ibi datur, quia ſpiritus vitæ eſt in ſanguine: & iterum dicitur, anima carnis in ſanguine eſt. Iam igitur, ſi ſpiritus vitæ ex ſanguine, carne, adipe & oſſibus, evaneſceret immediatè poſt eorum ſeparationem à creatura vivente, quid opus eſſet tantâ verborum copiâ ſeu præceptis ſtrictiſſimis, ne comederemus ex ſanguine & pinguedine poſt mortem creaturarum? aut, cur illa ratio daretur? Quia anima ſeu vita eſt in ſanguine, ſeu ſanguis eſt ſedes animæ ac vitæ? Textus non dicit: Sanguis erat ſedes animæ ſeu vitæ, ſed eſt: nimirum ſubſiſtentia illarum partium, licèt ſeparatarum à corpore vivente adhuc participat cum vitæ ſpiritu: Qua-

propter cavete vobis, ne comedatis ex illis.

Non vobis hic in memoriam revocabo virtutem vivificantem, remanentem cum
4 Reg.13. ossibus Eliæ, quæ causabant corpus interfectum, à latronibus illis in sepulchrum E-
Apocal.6.9. liæ projectum, nec quòd animæ eorum,
Gen.4.10. qui perempti erant Verbi causa exclamabant ad Dominum ex imo altaris pro vindicta nec quòd vox sanguinis Abelis profuti exclamabat ad Dominum à terra, nec subira revivificatio sanguinis emortui in interfecto, in præsentia homicidæ seu interfectoris, quod evenire non posset, nisi hic spiritus vivificans simul participaret ac in sanguine delitesceret, licet sine actione, dum per spiritum occisorem excitaretur ad actionem &c. Sed adducam vos ad oculare experientiam: Tam certum est, quàm certissimum, ijs, qui appulerunt animum ad artem destillatoriam, sanguinem ac ossa hominis continere insignem quantitatem salis volatilis, in quo residet tam præcellens dispositio Balsamica, ut ratione propinquitatis naturæ, sedet dolores podagricos, confestim ac cruciatus alios intolerabiles, curet vulnera, persanet eas, quæ matricis affectum patiuntur ac Epilepsiam: ac sub finem experientia manifestum reddidit, salem volatilem ac oleum sanguinis esse cordiale insigne. Vicissim oleum ex sanguine humano allevare dolores podagricos & alios consimiles, sanare vulnera, ac tanquam in præsenti detergere atque exsiccare omnis generis excoriationes, frequens experientia tam magistros meos, quam memet ipsum docuit: Nonne videmus candelæ stillam unica nocte excoriationem persanare? Et quisque stabularius notum tibi faciet, equi talum vulneratum seu percussum lapide sive ungulâ, per inunctionem extremitatis candelæ curari; adipem suillum, sebum cervinum probari necessariò pro ingredientibus Vnguenti curativi, non est unus Chirurgorum, qui negabit: Et unde procedit hæc sanativa in ijs proprietas? Quid? à benigno actu Dei vel à Diabolo? si ab illo, est ab illo spiritu sanante ac vivificante, qui prius formavit hæc membra, concedebatque ijs hanc virturem, alioqui enim nullam curativam proprietatem posside ret: Spiritu ab ore
Isai.33. Dei (inquit David) omnis procedit virtus. Ergo ab illo spiritu adeps, caro, sanguis & ossa virtutem illam curandi obtinebat, vel non omnino, & præsentiâ ejus semper servant virtutem illam ab eo; imò quidem post ipsam suam separationem seu amputationem à vivo corpore, quam accipiebat ab eo, dum essent membra in corpore vivente. Tantummodò hæc est differentia, cùm essent in corpore vivente, virtus eorum erat actualis, sed separata tantummodò est potentialis, nec in actum reducivult, nisi incitetur ab illo ipso spiritu vivificante & actuante: quemadmodum videmus, adipem vel sebum fixari cum frigore, nec fluxile esse, sed cum actu caloris naturalis seu ignis confestim liquescit ac fluit. Quid ad hæc omnia replicabit censor noster spongifer? Num igitur spiritus vitæ huic insit necesse est: Nam, sine eo esse non potest ulla sympathizatio inter hoc & Balsamum hypostaticum residetem in homine vivente. Notum faciam oportet huic inquisitori, quòd, ut erat solummodò unus spiritus, qui à Propheta à quatuor ventis Ezek.37. vocabatur ad vitam inspirandam interfectis, sic est unus tantùm spiritus, qui virtutem dat tam sanguini viventi, carni, adipi ac ossibus, quam reliquis, quæ nobis videntur vitâ destituti vel in potentia ad actum. Est unus tantùm spiritus, sed diversus in proprietatibus, qui congelat & quasi enecat spiritum Elementi mobilis aëris, illumque fixat flatu Septentrionali in nives, gelu, glaciem & grandines, atque iterum revivificat flatu Meridionali: nec in rem erit censoris nostri, si excludat hunc spiritum ab adipe, sanguine, carne & usnea, quæ unguentum ingrediuntur: Nam sapiens inquit, Incorruptibilem spiritum esse Sap.12. in omnibus, ergo in hoc unguento: Habemus igitur Sal Balsamicum in omnibus hisce ingredientibus, in eoque sale virtus activa delitescit, quæ proritata per fontem actionis, fluens ac agens à termino à quo, reagit ad terminum ad quem, id est, à fine ad principium. Atque hæc est ratio, hoc unguentum non solum reali, sed etiam virtuali contactu curare, nimirum ratione virtutis illius, quam tenet à primo suo creatore: ac si diceret, herbam aut radicem amittere virtutem omnem sanativam, quia é planta collecta sunt: nimirum granum Tritici, aut pomum collectum ex stramine seu ex arbore, non habere in se nutrimentum Balsamicum, quia jam tempus ulterius crescendi superarunt: & tamen contrarium manifestatur, quatenus semper possident in se spiritum suum vegetantem & multiplicantē: Nam illud in terram projectum, ipsissimo atomo vitæ delitescente in eis, manifestat se ipsum, & crescere ea facit ac multiplicari juxta speciem suam: nec verò bestiarum carnes destituuntur proprietate sua nutritiva: licèt videantur mortuæ, ac separentur à creatura vivente: Nam scriptura ait: anima carnis est in sanguine, quod si non ita esset, non nutrirer aut converteretur in substantiâ hominis corporalē nimirum, sanguinem, carnem, adipem ac ossa: ut etiam, nisi vivificans spiritus delitesceret in carne cadaveris emortui, impossibile esset, ut converteretur in vermes per ejus expositionem ad radios solares, ut in posterum dicetur.

Postremò ostendere possem profundo huic Philosopho, spiritum hunc vivificum in sale volatili abundanter produci. Equidem possem illi oculariter demonstrare, quomodò exsugat deorsum formam vitæ

à Sole,

à Sole, ita, ut ex pellucido sale volatili, nivem albedine referente, aut Christallinum unctuosum liquorem fluentem, intra paucas horas evadat æqué ruber ac rubinus, exponendo illum radijs solaribus. Hæc est sympathia inter illum & formam Solis & in eo ipso genere est appetitus eorum reciprocus, qualis est inter agens & patiens, vel fœminam ac marem. Possem etiam exhibere illi perbrevi temporis intervallo, potentiam admirabilem, quam spiritus hic vegetabilis possidet, ad producendam vegetationem in omnibus: atque etiam probari, esse Balsamum saluberrimum ad curanda vulnera & ad dolores sedandos: ac proinde sympathizat cum balsamo hominis hypostatico; alioqui enim non converteretur in eandem imaginem, nimirum in sanguinem, carnem, adipem & ossa ac proinde multò magis ipse sanguis caro, adeps ac ossa unius ejusdemque speciei, siquidem simile magis nutritur à suo simili. Nonne videmus, sanguinem humanum, imò sanguinem cujusque creaturæ consistere ex tali sale volatili? si nihil esset præter urinam, quæ est serosum excrementum sanguinis, tantum quidem testaretur, siquidem mediocriter scatet sale Armoniaco seu sale volatili animali: ac ratione naturæ Balsamicæ ejus, urina humana tam apta est ad mundificandum ac curandum simplex vulnus recens inflictum, ut etiam icterus curetur ad ejusmodi intervallum à patiente, pro ut jam anteà declaratum est. Videtis ergo, quanta facilitate, idque triplici consideratione, stupida hæc spongia Fosteri noster extorqueatur, & quàm rationi absona & improbabilis sit ejus propositio antedicta. Venio itaque ad examinationem secundæ quæstionis, quæ inde exsurgit.

Quod ad secundam quæstionem, videlicet, an equus habeat Balsamum sympathizantem cum illo hominis? M. Fosterus dicit, non esse talē sympathiam inter equum & hominem: multùm ille blaterat & temeré effutit, sed parum aut nihil probat, ac si diceret: M. Fosteri hæc est voluntas, ac propterea stet pro ratione voluntas. Exactè imitatur jactitantem suum Magistrum Mersennum. Sed ea me audacia induam, ut instituam eum meliùs in hoc negocio, ac demonstrabo illi, naturam corpoream alterius, facilè in sympathiam trahi ac participare cum illo alterius: nam caro, pinguedo & ossa amborum sunt ex sanguine in generalitate naturali, imò quidem & in specialitate ex sanguine, tametsi in numero varient: Nam obsecro vos, nonne eadem caro, adeps ac sanguis bestiæ nutrire solet simile in homine? nonne unum transmutatur in aliud? Minimé? Nunquid dicit scriptura hoc in sensu generali, intelligens omnem sanguinem, nimirum animam seu vitam creaturæ esse in sanguine & vitam omnis carnis esse in sanguine, & ob divinum respectum spiritus illius vitæ in sanguine, interdici nobis, ne vescamur sanguine ullius creaturæ? atque iterum.

Sanguis humanus in respectu reciproco repeti debet à bestia, quæ profudit eum. Quibus omnibus dextrè ponderatis, quis Sapientum potest in dubium revocare, nec absolutè concludere, bestiæ naturam corporalem sympathizare ac correspondere partibus corporis humani? Fateor equidem, intellectualem hominis naturam efficere, ut differat ab illa equi, quatenus is dicitur esse animal rationale; bestia verò animal irrationale; sed hæ proprietates tantummodò spectantur in spiritu specifico, neque concernunt aut tangunt ullam vitæ actionem aut vegetationem, aut multiplicationem, aut curationem: Itaque discurram hunc in modum: Deus donavit hominem dono duplici, quorum prius est spiritus vitæ, quem non solùm ipsi impertivit, sed etiam omnibus alijs creaturis. Et iterum, largitus est ei plus, quàm ulli alij creaturæ: nam dedit ei intellectum: & tamen dator duplicis hujus doni est unus tantùm spiritus: atque hinc Iob dicit: Spiritus Dei fecit me & inspiratio omnipotentis vivificavit me. Iam igitur (ut dixi) idem hoc beneficum datum erat omnibus alijs creaturis in una proprietate ac officio: Vnde dicitur: Deus vivificat omnia: & Iudith; misit spiritum & creavit omnia. Et Esaias: Deus dat flatum populo & spiritum calcantibus terram. Ex quibus liquet, eundem spiritum vitæ proportionaliter, licèt diversimodé in numero, mensura ac proportione, effusum esse super quodvis animal specificùm: ac proinde admirabilis sympathia naturæ sit necesse est inter partes cujuslibet animalis, quæ vegetatione ac multiplicatione, producuntur operatione ejusdem vitæ spiritus sanguini infusi: atque ita per viam animationis ad adipem, carnem ac ossa. Atque hæc est ratio simile converti in simile, nimirum sanguinem in sanguinem, carnem in sanguinem & carnem, & adipem in suum simile, & ossa ac medullam conflari ex ambobus. Nonne admodùm est palpabile, ullam carnem seu sanguinem, vel adipem animalium mortuorum, converti mutatione concoctionis in hominis substantiam? Quod nunquam præstare posset, nisi egregié in natura invicem sympathizarent, atque unirent naturam Balsamicam, seu calidum innatum & humidum radicale mutuò, ac transmutarent substantiam unius in illam alterius, quæ est sanguis originaliter, tam manifestè, quam occultè. Sed quod ad alterum donum extra ordinarium attinet, dicitur à Iobo alibi: in homine est spiritus, sed inspiratio omnipotentis facit eum intelligere: intellectus igitur est donum se junctum, qui hominem à bestia differe facit: sed non vitæ spiritus.

Iob.33.

Iudith.16. Esai.42.5.

Iob.9.

Pag. 39. Quid igitur supereſt? Probé Doctorem meminiſſe oportet &c: dicit M. Fosterus.

Et quid eum meminiſſe oportet? ob ſtrictam ejuſmodi admonitionem viri ſapientis, importet neceſſe eſt rem magni ponderis. Meminerit (inquit) curationis equorum ſuæ. Et cujus equorum curationis? nimirum, quòd equus, clavo male impacto, poſſit pari modò curari. Mirabile opus! Eratne ob hanc cauſam arduam, ut idem memoriale repeteretur in Glorioſa & famoſa ejus ſpongiæ parte, ad aſſertionem illam delendam? Contemplemur igitur præcipuum ſubjectum commemorationis ejus, quæ eſt hæc.

Pag. 42. Nam inquit Doctor (quod admonui, ut meminiſſet) ſi clavus, qui equum læſit, applicetur Vnguento, equus curabitur: nulla eſt talis, inquam, ſympathia inter virum & equum.

Ha ha he! Riſum teneatis amici? eò quod ita dicit; ergo res ſe ita habet. Stat pro ratione voluntas: dicit quidem, & licet nihil probet, tamen ei credendum eſt. Sed hujus viri aſſertio convincetur tanquam ridiculoſa, tam communi ac vulgari obſervatione, quàm varijs experimentis practicis Nobilis, ſive Comitis, à me citati in Capite 6. membri 2. hujus tractatus.

Quod attinet ad vulgarem obſervationem, dicimus, carnem omnium creaturarum (ut dixi anteà) ſive ſint aves ſive quadrupedes, ac ob id equi, facilé converti (poſtquam digeſta eſt in ventriculo humano) in ejus ſanguinem, adipem atque oſſa: quod evidens eſt argumentum, eſſe ſympathiam manifeſtam inter carnem & ſanguinem equi & illum hominis; imò & reſidere in equo naturam Balſamicam ſimilem, ſeu humiditatem radicalem, quæ eſt in homine & per conſequens, eandem naturam Balſamicam ſympathizare cum Balſamo hypoſtatico reſidente in homine: Cauſa eſt manifeſta: nam quod facit tale eſt magis tale: ac proinde ſi ſanguis ſeu caro equi non eſſet talis naturæ, qualis eſt hominis, nunquam converteretur & redigeretur in unionem cum ſanguine ac carne humana. Hoc verò ita ſe habere, quiſque fatuus percipit practicè. Quibus patet, Balſamicam alterius naturam exactè conſentire cum altero, alioqui enim nunquam eſſent tam homogenea, ut includant unam naturam: Atque iterum: ſi non ſympathizarent, ſed Antipathizarent, natura alterius abhorreret à natura alterius, quod experientia falſum oſtendit. Iterum, eſſe naturam Balſamicam in equo, ſympathizantem cum illa hominis, probat effectus: nam effectus naturæ Balſamicæ eſt agglutinare ac conſolidare vulnera & in carnare atque ſanguinem generare, idque ſecreta vegetationis virtute. Sed caro equi reddit ac tradit ſuccum ſuum Balſamicum hepati, ubi ſympathizat cum ejus natura, ut condenſet ſe ipſam tranſmutatione homogenea in ſanguinem, & reddatur æquè fibroſa & probé compacta ac reliquus ſanguis humanus, tandemque una cum eo efficiatur: Et poſt hæc appoſitione, unione & aſſimilatione (ut verbis Galeni uti liceat) fit caro humana: Argumentum infallibile, naturam Balſamicam harum duarum creaturarum conſentire ac ſympathizare, alioqui non poſſent efficere unam unionem: Sic videre licet noſtro acuti ingenij commemoratori, me non ſolum loqui in hunc modum, ſed etiam probare meam cauſam uſque adeò palpabiliter, ut quiſque idiota ſenſibiliter id percipiat.

Pervenio jam nunc ad ejuſmodi experimenta privata, quæ nobilis ille Comes anteà à me citatus, vera comperit in equis: quorum alicui claves malé impactæ fuerunt, nonnulli vulnerati vel læſi ſecus: Libuit ipſi, mihi referre complures hiſtorias curationum ſuarum, tam in equis proprijs, quàm in alienis, quas virtute hujus Vnguenti præſtiterat ipſe. Iam equidem ſcire vellem, an ullus bonæ notæ, ſeu modeſtiâ præditus, velit potius fidem dare illis, quæ nobilis hic affirmat & volet ſuper propriâ ſuâ ſcientiâ ac notitiâ, variâque experientiâ, vel nudæ ac inani M. Foſteri aſſertioni, qui mundo perſuadere vellet, idque mera ſua duntaxat aſſeveratione ſine ulla ulteriore probatione ſeu praxi, Caſtella in aëre extrui poſſe. Quid igitur? An cœtum convocabimus hominum impetuoſorum, incredulorum ac criticorum, ut decidatur illud? an Diabolus hanc curam præſtet ad lucrandam animam equi nec ne? Authoritates inurbanæ eorum, poſt debitam litigationem forenſem & cauſæ examinationem deprehendent, ſubnigram ejus dominationem, vix tantum laboris eſſe inſumpturam pro anima, quæ uſque adeò eſt peritoria, tranſitoria, nec immortalis ac illa hominis, cui tam avidé ac ſitibundé inhiat: At verò ſi replicent, Diabolum hoc facere, ut medicum deludat credulum, atque hinc media parare ad animam ejus lucrandam: reſpondeo fruſtra fieri per plura, quod fieri poteſt per pauciora: medicus complures prius homines curavit, & hoc non ſufficeret Diabolo, ut potiretur ipſo, ſed debet illi etiam aſſiſtere in curandis brutis beſtijs, ut obligatio pro anima practici medici, fiat eò certior? Fortaſſe plus fidei atque authoritatis tribuerem altitonantibus illis & magnanimis judicibus ſeu damnatoribus, & potentiæ Iehovæ annihilatoribus, ſi illud Diabolo tribuant, quod ad ipſum ſpectat, ſi unus homo multarum animarum jacturam facere poſſit: ſed quis adeò fatuus, quibis jaciat, cùm certò lucratus ſit prima vice?

Ex hiſce igitur quilibet ſagax lector planiſſimé diſcernere poteſt, Spongiam Foſterianam & hic extorqueri, quatenus tam certum, quàm certiſſimum, Balſamum naturalem unius animalis ſympathi-

zare

zare cum ſuo ſimili in alio, quatenus ambo obtinent unam eandemque virtutem agentem & ſpiritum unum Balſamicum in natura ac conditione, qui omnibus ſpecificis eſt communis.

CAPVT. II.

In quo probatur contrarium dogmati ſpongiferi, hominis ſcilicet oſſa naturaliter à ſanguine procedere.

Nuda aſſertio Texrus Fluddani.

SAnguis miſcetur cum mummia ſeu carne, adeps & uſnea ſeu muſcus oſſium, qui ſanguinis erat initium & pabulum omnium.

Collectio Foſteriana.

Hæc ingredientia habent initium ſuum & alimentum à ſanguine.

Actus ſpongiæ ipſius mundificantis.

Foſterus.

Secundo loco nego, oſſa humana initium atque alimentum ſuum capere à ſanguine: nam Medici ac Philoſophi perhibent, illa habere principium ſuum à groſſioribus partibus ſeminarijs, atque alimentum ſuum à ſanguine ſeu medulla, vel ab utroque.

Hîc ſpongia ejus extorquetur.

Fludd.

Miror equidem, Cenſorem noſtrum, ad inſtar paraſiti comic, modò negare, & modò eodem ſpiritu affirmare idem: nam primò negat oſſa habere alimentum ſuum à ſanguine, ac tum poſteà concludit, illa habere: age, prætereamus errorem hunc hæſitantem, & ad rem veniamus: oſſa humana (inquit ille) habent principium ſuum à groſſioribus partibus ſeminalibus: Ergo non à ſanguine. Conſequentia eſt erronea: nam ſi verè velit is intueri naturam ſpermatis, nihil aliud originaliter illud comperiet, quam puriſſimam ſanguinis partem colati à duplici vaſis ſpecie: cujus purior ac interna pars oritur à vaſe ſeu vena arteriali; groſſior & externa à vaſe venali. Quid opus habet Foſterus, ut notas Bauhini ſeu opiniones Galeni, illaſque multorum aliorum differentes ab ijs introſpiciat, atque ita conſtituat, ipſe Dixit, totam ſuam vim ac potentiam, cùm oculi ejus docturi ſint ipſum, ſi unquam ſciret anatomiam, ut forſan Pater ejus novit, ſcaturiginem ſpermatis, eſſe ſanguinem duarum naturarum, nimirum Arterialis ac Venalis? Nam vaſa ſeminaria præparantia, quæ illud alterant ac purificant, ſuum ortum habent ac caput, ex magna arteria & vena cava: Quod cum ita ſit, equidem ſcire velim ex Foſtero, an exiſtimet, ſperma non procedere à ſanguine, tanquam originali ſuo, quatenus vaſa, ex quibus profluit, replentur nulla alia re, niſi ſanguine? Non moror illud, ipſe Dixit, cùm in experientia cujuſvis oculari contrarium appareat: Nam, nonnulli volunt, ſubſtantiam ſeminis procedere à cerebro: atque alij à partibus ſubtilioribus totius corporis & nonnulli volunt illud oriri à puriore parte quatuor humorum, quòd idem eſt dicere, illud procedere à ſanguine, qui componitur ex quatuor humoribus, licet aëris Elementum prædominetur. Sed certum eſt ſanguinem eſſe ejus fontem, atque id apparet demonſtratione oculari. Quod, cùm ita ſit, obſecro, mi Foſtere, quis error eſt in me, dicere, ſanguinem initium eſſe oſſium, cùm ipſe confitearis, immediatam illorum exiſtentiam eſſe ex ſpermate, cujus immediata exiſtentia eſt ſanguis? Iterum docemur, ſedem vitæ eſſe in ſanguine: ſi itaque ſperma præducit vitam, recipit illud vitæ donum à ſanguine.

Denique evidēs eſt ex his, ſpiritum Domini vivificantem (qui eſt quatuor ventorum animator, unde Propheta Ezekiel vocabat eum ad animandos interfectos) moveri ac operari radicaliter in ſanguine ſpirituali, ac ſperma animari ac moveri ſanguine hoc ſpirituali, qui eſt internum ſpermatis, quod Philoſophi ſemen vocitant, in cujus centro ſpiritus Domini vivificus operatur & agit; ac tum poſteà hic ſpiritus in ſemine formar cutem, carnē, oſſa ac nervos, dans ipſis vitam, actionem ac motionem. Quæ omnia à lobo patiente illo, in hunc exprimuntur modum: ſicut lac effudiſti me (hoc eſt in forma ſpermatis) inſtar caſei coagulaſti me, induiſtime cute ac carnibus, compegiſti me oſſibus ac nervis, dediſti mihi vitam miſericordiâ tuâ & viſitatione tua præſervaſti ſpiritum meum, ſed hæc omnia abſcondiſti in animo tuo: Sed novi hæc omnia à te eſſe. Ex quibus patet, Deum operari omnia radicaliter in ſanguine inchoando: & ob hanc rationem Apoſtolus haud injuriâ: in illo (inquit) vivimus, movemur & ſumus. Act. 17.

CAPVT. III.

In quo probatur, contra ſpongiferi noſtri opinionem, Spiritus in ſeparato ſanguine reſidere.

Textus nudus Fluddanus.

IN ſanguine eſt ſpiritus vitæ, & cum lucida anima habitat, operaturque juxta occultum modum.

Collectio Foſteriana.

In ſanguine vitales ſpiritus reſident, in vitalibus ſpiritibus anima, modo occulto.

Actus ſpongiæ ejus mundificantis.

Foſterus.

Tertio loco nego, ullos ſpiritus reſidere in ſanguine ſeparato, & Caſmannus ita aſſeverat; in partibus ſeparatis à corpore nullos remanere ſpiritus, dicitque nec ipſum Diabolum poſſe parere vel conſervare ullos in ijs.

Spongiæ extorſio.

Fludd.

Videtis hîc tyronem hunc nihil habere, quo ſuſtineat ſuum dogma, niſi ipſe dixit: quòd ſi hoc deficiat, valeat omnis ulterior exſpectatio. Sed probatum dato hanc ipſius & magiſtri ejus aſſertionem eſſe erroneam triplici via. Primò ratione philoſophica: nam cùm quælibet amputata natura ab ipſo vivo trunco multiplicationis ſuæ repleatur ſale balſamico naturæ arboris ſeu plantæ, à qua oriebatur, per quem exiſtit id, quod revera eſt, vix fieri poteſt, quin habeat de ſpiritu vitæ ſuæ ſolitæ in ſe, licet non agat, ſed in centro ſuo quieſcat.

Deinde ex ſcripturis ſacris: nam (ut abundé ſatis & ad nauſeam anteà probatum eſt) ſanguis profuſus & caro occiſa ſcatent ſpiritibus vividis, licèt in illis remaneant potentialiter: alioqui, cur interdiceretur Iſraelitis, ne comederent ex adipe & ſanguine? Nam dicitur, quia ſanguis eſt ſedes animæ ſeu vitæ ſpiritus: nam, ſi ille vitæ ſpiritus evolaſſet ab illo, quod nam peccatum fuiſſet comeduſſe ex eo? Sed Textus ait: nam eſt ſedes vitæ, ac proinde mandatur ipſis, ut profundant in terram. Iterum, Sap.11.1. reſpondeat ad hæc Foſterus noſter: Incorruptibilis Dei ſpiritus eſt in omnibus. Ergo in ſanguine effuſo, carne, adipe ac oſſibus à toto ſeparatis: ac poſtremò experientia vulgari: nam invenimus, adipem, ſanguinem ac mummiam poſſidere proprietates curandi ſingulares, quas vix habere poſſent, ſi omnes ſpiritus, quos recipiebant à 1.Cor.12. vivo corpore, exhalaſſent: ſed eſt ſolum Sap.16.19. officium incorruptibilis ſpiritus & Verbi ſanare: ac propterea cùm hæc ingredientia habeant ſanandi proprietatem, neceſſariò participent oportet in hac earum exiſtentia cum benefico hoc ſpiritu, cujus natura eſt expellere ac tollere omnem corruptionem ac morbum aliaque impedimenta naturalia. Verbum tuum (inquit Salomon) Sap.16. curat omnia: nam in eo ſolo vita eſt. Ergo ſpiritus vivificans. Prætereà novi ego & proprijs oculis vidi magnam ſpirituum copiam, qui activitate ignis vel exigni excitati ſunt ex eſſentia ſanguinis corrupti & adipis; ita, ut naturali manus calore in forma parvorum atomorum viſi fuerint ſaltare ac tripudiare in aëre, quod evidens eſt ſignum, ſpiritum vitæ deliteſcere in ſanguine mortuo, licet appareat ſaltem potentialiter in eſſentia corporis mortui reſpectu noſtri. Iterum niſi hoc ita eſſet, an poſſibile eſt, ut ſanguis mortuus, caro & adeps poſſint alere viventem creaturam, cum ſimile nutriatur per ſuum ſimile? Quod eſſe non poſſet, niſi in ſanguine, carne ac adipe naturales & vivifici ſpiritus debiteſcerēt ad conſervandum ſibi ſimile in creatura vivente: ac propterea una ſpecies carnis nutrit & hominem & brutum, piſcem ac volucrem; eò, quòd omnes hi ſpiritus naturales ſint unius generis ac conditionis: nonne eſt, obſecro, vulgo manifeſtum, carnem ac adipem ſoli expoſita, cito converti in vermiculos vivos? Quod fieri non poſſet, niſi ſpiritus vitæ reſideret in carne & adipe, poſtquam creatura erat mortua; imò quidem vidi integram vaccam mortuam, quam Soli expoſui ad certum intentum, in totum (oſſibus exceptis) converſam fuiſſe in animalcula verminoſa. Evidens ſanè argumentum præſentiæ ſpiritus vivifici in carne mortua, ſanguine & adipe; imò herclè, obſervavi, Balſamum Tritici uſque adeò in eo abundare, ut, ſi in aquam pluvialem imponatur, brevi temporis intervallo producat vermes oblongos caloris albidi. Eundem effectum caro producit poſt putrefactionem. Quare tam certum eſt, quàm certiſſimum, ſpiritum vitæ eſſe in ſanguine mortuo & adipe; imo & in grano, qui licèt non operetur, niſi excitetur

Ich.1.

excitetur ac procitetur per agentem ſpiritus vivifici proprietatem, operantis in tali corpore organico, ut in Sole igne, creatura vivente & ſimilibus, tamen certiſſimum eſt, illum eſſe in amputato ſanguine, adipe, carne ac oſſibus &c: Hiſce diſcernere licet (lector amice) quomodo Caſmannus ejuſque completus diſcipulus Foſterus, impegerint: Sed neceſſe eſt, modeſté nos excuſemus, cùm humanum ſit errare: cur, quæſo, judicarem hoſce viros magis in ſcientia Catholicos, quam Bernhardum? Sed Bernhardus non videt omnia. Et tamen cæcus equus Bayardus, vel (ut Angli dicunt blind Bayards) promptus eſt ad judicandum ac cenſurandũ quidlibet, licét ſibi ipſi incognitum. Quare Foſterus authoritatem ſuam marſupio ſuo includat: nam equidem non ſuſpicio nec æſtimo, habens rationem naturalem teſtimoniorum ſacræ Paginæ, ac denique experientiam vulgarẽ ocularemque demonſtrationẽ ad probandum contrarium. Er ſiquidẽ ejus Magiſter Caſmannus docet ipſum, etiam diabolũ ipſum non poſſe parcere nec conſervare in illis ullum ſpiritum, miror equidem, quomodo diabolus poſſit operari curationẽ hujus Vnguenti armarij, cùm linimentum non habeat ſpiritu à ſe ipſo, nec tamen diabolus poteſt parere aut conſervare ullum in ejus ingredientibus? Et ſi dicat, Diabolum maximâ pollere experientiâ, ac præſtare hoc alijs herbis ac ſimplicibus: vellem equidem, ut mihi diceret, cur herbæ, aliave ſimplicia, cùm ſint etiam ſolummodò quaſi mortua & ſine ſpiritibus, poſtquã collecta fuerint, per ipſam Foſteri regulã cederent diabolo, in media ad operandum effectũ hujus curationis occultæ, & non potiùs illa ingredientia, quæ collecta ſunt ex corpore humano, cùm ſpeciei ſuæ ſint propinquiora ac familiariora, ac ob id benigniora ac amicabiliora illi, quàm medicinæ peregriniores, ut ſunt vegetabilia & ſimilia? Si lectori hoc totum probe ponderare animus erit, percipiet, totum, quod profert ſpongifer noſter pagina 8. eſſe meras ineptias.

Pag. 8.

Diabolus (inquit) perſuadet medico, effectum eſſe virtute tendente ad vulnus, dum ipſe (peritus longâ experientia in omnibus artibus, atque adeò in arte medica) ſibi ipſi ſecretò applicat aliam quãdã medicinã virtualẽ, operantem ad curandũ vulnus, ut deludat ita medicos ſuos circũ foraneos nimis credulos, ijſque perſuadet, hoc unguẽtũ, quod deſtillat ex pera Carnificis, præſtitiſſe illud.

O miraculum admirandum! Et quid lucratur inde diabolus? nimirum curando hominem illo modo, cujus corpus & anima eſt in manibus Omnipotentis? In manu Iehovæ (inquit Iob) eſt anima omnis viventis & ſpiritus univerſæ carnis. An putat, Deum amiſſurum eſſe jus ſuum per tam debilem & infirmã aſtutiam? Minimé verò, ut daret & concederet Diabolo verbũ ſuum, quod, ut Salomon habet, curat omnia, ut decipiat eum propria hæreditate? Quid? an benefaciet diabolus, ubi nullum commodum nec emolumentum ipſi expectatur? Et cur non igitur contactu virtuali hujus medicinæ, ut propinquioris conſanguinitatis cum homine, ac proinde promptioris curatricis, ullâ aliâ medicinâ, quæ ullo contactu virtuali operari poteſt? Egregium verò figmentum! ac ſi quis mihi perſuadere vellet, non eſſe Magnetẽ, qui ferrũ attrahit ſed diabolum in uſum adhibere aliam quandam creaturam, ad præſtandum illud, ut decipiat ac imponat Philoſopho ſeu marinatori. Hæ tantùm fabulæ ſunt, inventiones, inquam, cerebelli phantaſtici, qui ad perſuadendum nobis ad ſuam imaginariam & voluntatem nullatenus probabilẽ, fidem nobis facere vellet, Caſtella in aëre eſſe exædificata, noſque in omnibus noſtris bonis actionibus deludi à diabolo, & volãdo alis ingenij & captus Foſteriani, neceſſariò impingere oportere in nubes erroris atque ita in nubula ignorantiæ obliviſci operũ Dei noſtri & Servatoris; ac deluſionibus palpabilibus M. Foſteri agnoſcere, illa aſtutè perfici per Dei inimicũ Et quomodò proh Deum! accidit, diabolum factum eſſe ſeu evaſiſſe tã inſignẽ Phyſices ſtudioſum, tamque peritum circumferre in arte curatoria, qui totũ ſuum artificiũ impendit, & collocavit optimos fructus ſuæ induſtriæ, ut partes ageret vaccæ interfectricis & ut deſtruat? Mirabile ſane! Minimé verò, abſit: ſed benedictus Deus noſter, qui emittẽdo benignitatẽ vultus ſui mittit ſolus ſanitatem, ubi, quomodò, & cui ipſi libuerit. Sed ut procedam.

CAPVT. IV.

Hoc caput oſtendit errorem Foſterianum, dum dicit, animam non reſidere in ſpiritibus juxta occultum quendam modum.

Secunda molitio ſpongiæ contra Textum eundem.

Foſterus

QVartò nego, animã in ſpiritibus reſidere ullo modo occulto: Stoici ſane putabant, ſpiritus eſſe vincula animæ & corporis. Sed Peripatetici ac Theologi arbitrantur, hoc ſupervacaneum, ſiquidẽ corpus generatur propter animã, & anima creata eſt propter corpus, & ambo conſtituunt totum compoſitum. Quid opus eſt ullis vinculis ad colligandum illa? Eſt deſiderium & appetitus reciprocus cocundi in primo limine & conatus poſt unionem ad cohærendum. Anima nullatenus dependere ſeu reſidere poteſt in ſuis organis, ſed ſpiritus in anima &c.

Iob. 12. 11.

Extorquemus iterum in hoc argumento tumentem hanc & extuberantem ſpongiam in hunc modum.

Fludd.

Etiam ſi in præcedentibus ſufficienter reſponderim illi punctui, tamen neceſſe eſt, paulò validius extorqueam ſpongiam, alioqui retinebit aliquid ſucci veritatis in poroſa ejus pantice ſeu ventre.

Dixi anteà, animæ ſedem eſſe in ſanguine, præcipuumque ejus vehiculum, eſſe humidum radicale, ut videmus ſpiritum vitæ in macrocoſmo, poſuiſſe Tabernaculum ſuum in ſole cœleſti, atque iterum dicitur, ſpiritum incorruptibilem ineſſe omnibus; ſed hic eſt ſpiritus ille vivificans, qui vivificat omnia, ac proinde reſidet in ſanguine ac conſequenter in ſpiritibus, qui in eo continentur, modo ſecretò ac myſtico.

Pſal.19.

Sap.12.1.

Quod ad Peripateticorum & quorundam Theologorum opinionem attinet qui ſupervâcaneum ducunt, ut ſit vinculum in corpus & animam; Doctrina illa herclè admodum erroris eſt plena ac falſa. Primò, quia anima & corpus uſque adeò contrariantur inter ſe, complexione; ut, niſi unio fiat inter duo extrema, impoſſibile eſſet, ut ſimul concurrerent, vel ſi poſſent aut deberent obviare ſibi invicem; tamen lux pura & cœleſtis animæ ſubitò deſereret tenebroſitatem impuram & terreſtrem corporis. Quomodò enim duo contraria in unum convenire poſſunt? Nonne videmus omnes influentias de deſuper, requirere currum aëreum, vehiculum ſeu medium, ut conducantur in corpora, atque ut invicem uniantur? Cur Deus deſtinabat ac locabat aërem inter cœlum & terram, niſi, ut eſſet loco vehiculi ad uniendũ cœleſtia cum terreſtribus, quaſi amoris vinculo? Poſſumus ne habere meliorem probationem ex hiſce in mundo typico, quàm illam Archetypicam? Nunquid Pater Filio unitus eſt per Spiritum Sanctum, quod D. Auguſtinus atque alij complures nuncupant divinum amoris vinculum, ſecundum Archetypicam imaginem igitur omnia creabantur, & in macrocoſmo & in microcoſmo: Nam Propheta ait, verbo Domini cœli efformati ſunt & Spiritu oris ejus omnes illorum virtutes; ita ut virtuoſa unio ac copula, quæ conſtituta eſt inter effectus verbi, in quo eſt vita & creaturam vivificandam, ſit beneficus ille ac incorruptibilis ſpiritus, quo nexu Deus habet relationem ſuam eſſentialem ad creaturam: Per hunc ſpiritum omnia Elementa diſcordantia colligantur & combinantur, unione ac conſenſu amicabili, unde dicitur pax, amor & concordia, quæ fert (ut habet Apoſtolus) ac ſuſtinet omnia verbo virtutis ſuæ: Per illum pondus ac proportio aëri aſſignatur, nubeſque connectuntur, vel ſuſpenduntur in menſura atque aquæ colligantur tam tenaciter in nubibus ſpiſſis, ut non dividantur. Denique in macrocoſmo cœlum ac terra ſtabiliuntur ac connectuntur verbo Dei ut D. Petrus refert, alioqui elementa perpetuò conflictarentur: & per eandem rationem anima & corpus, ſeu cœlum & terra in microcoſmò colligantur immediatâ & æternâ hac copulâ, alioqui corpus & anima nunquam cohabitarent ſimul, ſed contra ſe invicem bellum gererent, cùm æquè contraria ſint in natura, ac ignis & aqua: Sed niſi ſpiritus aëri interponeretur Elementis hiſce contrarijs, ad colliganda illa, nunquam concordarent, nec perſiſterent in ſphæra ſua: Nec magis anima & corpus ſine medio ſpirituali: Vt itaque videmus, cœlum microcoſmi compoſitum eſſe ex luce & ſpiritu proportionatis, & quaſi conglutinatis æterno ſpiritu, qui eſt infuſor vitæ in ambobus: Sic etiam ſpiritus in homine tam firmiter animæ unitus eſt verbo ſpirituali, quod eſt nexus, copula ſeu gluten vitæ, ut poſſibile non ſit ſeparare unum ab alio, niſi ſit per illum ſpiritum, qui ea ſimul conjungit: Atque hoc facilè colligi poteſt ex hiſce Apoſtoli verbis: Vivus eſt ſermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus. Quibus arguitur, vitam conſiſtere ex anima & ſpiritu, atque hæc duo uſque adeò ſibi invicem couniri verbi Copulâ, ut nemo, niſi compoſitor aut unitor poſſit illam facere ſeparationem ab illis: Et ob hanc rationem nobis cernere licet, firmiſſimam eſſe copulam tam inter ſpiritum & animam, quàm inter animan & corpus: Ac proinde, ut anima dignior eſt ſpiritu, ſic Spiritus excellit in dignitate corpus; & conſequenter, ſpiritus proportione quadam interpoſitus eſt inter animam & corpus; haud aliter, ac aër inter ſolem & terram. Quapropter maxima eſt abſurditas inter Peripateticos, negare copulam illam ac unionem, & abſurdiùs pro Foſtero, qui ſe tam leviter excuſet; dicendo, ſanguinem animæ gratia procreatum, & animam corporis gratia, ac propterea opus non eſſe vinculis ad colligandũ ea. Miſerrima, inquam, concluſio Philoſophi ac Theoſophi, tam eminenter apparentis: ac ſi diceret, duo extrema magis conjungi poſſe invicem ſine medio ſeu copula intercedente, ſeu ſpiritu intermediato ad conjungendum & uniendum illa, quàm duo extrema Diametri in circulo ſine puncto intermedio ſeu centro. Et magis abſurdum in ipſo eſt, dicere, poſſe eſſe reciprocum appetitum duorum extremorum, & oppoſitorum contrariè conveniendi & cohabitandi prima vice, cùm uſque adeò contrarientur, ut ſapiẽs ille dicat. Corpus infeſtum corruptioni aggravat animam & terrena habitatio deprimit mentẽ multis curis plenam: Nonne eſt peregrinũ,

Pſalm.33.

Heb.1.

Iob.26.9.

Iob.28.25.

2.Pet.3.

Hebr.4.

Sap.9.

nec

nec à natura absonum, spiritum ullum captivum non expetere libertatem suam, inprimis lucidam animam, quæ tenebroso carceri corporali incarcerata est? Atque hanc ob causam Iamblichus ait, animam dormire in corpore humano: Et Porphyrius habet, semper ægrotare illam in corpore. Et Mercurius Trismegistus, corpus animæ esse velum ignorantiæ. Ex quibus certum est esse spiritum, qui eam detinet in carcere illo tenebroso. Ex his igitur videre licet, quàm præcelleus sit Doctrina Fosteri! Sed, ut emendet rem, in hunc modum procedit: & conantur post unionem ita cohæresce re &c: Verum est, si loquatur in gratiam corporis tenebrosi, quod invité deserit ac relinquit animam lucidam, quæ ejus est Thesaurus: Sed, quod ad animam, videmus, quot sint, qui, ut evitent compedes hujus carceris, proprium sanguinem profundunt, vel sibi ipsis manus conscisent seque destruunt, & complures, tam inter electos (ut in scripturis invenimus) quàm inter mundanos vulgares, seriò à Deo expetere ac contendere, ut pertæsos vitæ hujus mundanæ, ut dissolvantur & ex hac vita emigrent: Dissolvi cupio & cum Philip. I. 23. Christo degere, dicit aliquis &c: Ex quibus elicitur, animam non cupere vivere in corpore vel cum corpore, ut M. Fosterus concludit: Cumque emigrat illa, non potest relinquere corpus suum sine spiritu, usque adeò firma est eorum unio, ut Apostolus ostendit in Textu anté citato: Nec etiam spiritus in totum deserere potest relationem illam, quam habet ad corpus, ut dictum. Concludo igitur simpliciter contra Fosteri assertionem, animam stricta aliqua unione dependere ac quiescere super spiritu & reciproco modo, spiritum quiescere super anima: Haud secus ac agens non potest æstimari agens sine patiente, nec patiens sine agente suo. Ac proinde necesse est ambo ex illis in uno uniantur: & consequenter, ut agens essentiale à centro ad circumferentiam agit: Pari modo concipiendum, animam agilem in spiritibus contineri, ut agens in patiente, vel anima in corpore, seu fulgur in nube.

Atque huc usque processimus ad extorquendam & exprimendam omnem spongiæ Fosterianæ validitatem, quod ad hoc attinet negotium: Venio ad sequens.

CAPVT. V.

Essentialis Authoris agaso virtutis sympatheticæ, in hoc capite spongifero nostro stramineam hospitalitatem exhibet, eò quòd vocet eum Tom Long agasonem; legite & modum percipietis.

Nuda Textus Fluddiani assertio.

EX quibus claret, lineam hanc spiritualem invisibiliter protractam atque extensam in aëre, inter loca vulnerati & myrothecium, ferre secum animalem suam formam, quæ anima seu spiritus vitæ non minus à suo toto seu integro in corpore vulnerati contento, dividi potest, quàm solares radij à Sole. Quapropter, ut solares radij Spiritui mundano innatantes sunt quasi nuntius seu Tabellarius inter cœlum & terram: Pari modo hic radius animalis est conductor fidelis naturæ curatricis à myrothecio ad corpus vulneratum. Atque hoc medium sive linea dirigens ac deferens, nimirum, quæ conducit ac transfert salutiferum illum spiritum mediante anima seu vitæ spiritu est ille spiritus, qui invisibiliter extenditur vel extrahitur in aëre, qui, nisi modo quodam occulto fuisset figuratus & efformatus, virtus unguenti evaporaret vel profunderetur hac vel illa via, atque ita nullum ferret vulnerato beneficium.

Collectio Fosteriana.

Spiritus sanguinis profusi per aërem fertur (qui est bajulus spiritus cujusque rei) ad ejus corpus: Atque hic spiritus per aërem tendendo rectâ lineâ invisibili, transfert virtutem sanativam ab armis peruncti, ad hominem vulneratum: Nam arma, communicant illum sanguini adhærescenti illis, sanguis spiritibus, spiritus conducti per aërem, communicant illam corpori, atque ita patiens (sine emplastri applicatione) naturaliter sanatur &c.

Fludd.

Planè & evidenter discerni hîc potest, quomodò Textum meum corrumpat, ut quadret ad suum proprium intentum: Nam primò nullam ego facio mentionem lineæ directæ & extensæ, sed loquor solummodò de translatione ac directione spirituum vitalium à corpore vulnerato ad myrothecium, ac tum posteà de attractione Magnetica virtutis sanativæ, retrorsum linea quadã invisibili in aëre protractâ: Tunc dicit ille, aberrans à Textu meo, arma communicare. Vnguenti virtutem sanguini adhærescenti illis; sed ego non dixi unquam nec intellexi rem ejusmodi; nam propinquior existit consanguinitas inter Vnguentũ & sanguinem, quàm intet arma & Vnguentum, sed tam flocci eũ ejusque molitiones pendo, ut voluntatis libertatem ipsi relinquere velim.

Actus

Actus ſpongiæ mundificantis ſuper hoc.

Foſterus.

QVintò nego, D. Doctoris Bajulum, nimirum lineam ejus directam inviſibilem portantẽ virtutẽ ſanativam per tot milliaria ab unguento armario ad vulnus. Hic ſané eſt Tom long agaſo ille, qui nunquam exſequi vult mandatum. Sed Sol cum radijs ſuis, eſt verus bajulus inter cœlum ac terram, atque ita hoc unguentum inter arma & vulnus (ô comparationem incomparabilem!) Sol vocatus quaſi ſolus, ut nullum habens par, nullam creaturam ſimiliter ſibi operantem: Sed Doctor inſtar alterius Archimedis, poteſt efficere unam operationem, emittendo radios illi ſimiles.

Fludd.

Etſi voces hunc Tabellariũ meum, Tom long agaſonem illum; tamen munia ſua tam prompté & certò exequetur ac revertetur tam ſubitò, ad te convitiatorem ſui, (latus alis veritatis pernicibus) ut in concluſione hujus Textus nihil niſi ſtramineam hoſpitalitatẽ ac commenſalitatem, ſit præbiturus tibi, in remunerationem tui. Non dico, mi homo, quòd, ut radius ſolaris eſt verus inter cœlum & terram tabellarius: ſic Vnguentum eſt tabellarius inter arma ac vulnus; (ô capacitatem admirabilem viri tam docti, qui in phantaſia ſua propria imaginetur ea, quæ non ſunt!) ſed dico, quòd, ut radius ſolaris tabellarius eſt inter cœlum & terram, ſic eſt radius vivifici ac incorruptibilis ſpiritus in homine interno, qui eſt cœlum ipſius ad ſanguinem, qui in Vnguento occultus jacet: haud ſecus, ac granum Frumenti in frugi ac fertili terra recipit ſolamen vivificum à radijs Solaribus, quibus poſt grani putrefactionem virtute quadam Magnetica attrahit animam exiguam, jam liberam, ſurſum ad fontem vitæ verſus, à quo deſcendebat anno præterito, ad grani multiplicationem. Sed, quia impeditur corpore ſuo Elementari, remanet huc atque illuc volitans in aëre, ſugendoque ad ſe plus ex alto de ſuo ſimili, multiplicatur ab uno grano ad plura. An igitur impoſſibile eſt, ut ſimile accidere poſſit inter radium à corpore prodeuntem & ſanguinem in Vnguento corruptum, exiguum vitæ atomum, per putrefactionem ſanguinis emortui exſurgentis & ſine impedimento terræ ejus unctuoſæ, exſuctæ, paulatim ac ſenſim ad ipſius vitæ fontem? Sed quia totum hoc vivis exprimitur coloribus in reſponſo meo ad illam ipſam objectionem, facto, in primo ac ſecundo capite membri tractatus hujus ſecundi; ad loca illa remiſſum lectorem volo, ubi inveniet ad omnia contenta illius confutationis inperfectæ reſponderi, ſpongiam illius totaliter extorqueri, ac omne ejus acerbitatis virus prætenſum contra hunc Textum meum omnimodé expungi atque annihilari.

Tunc ita procedit: Sol dicitur quaſi ſolus, ut nullum habens par, nullam creaturam ſibi ſimiliter operantem, ſed Doctor ad inſtar alterius Archimedis &c: Domine mi Preſbyter ſemper excipio Platonem: incorruptibilis ille ſpiritus, qui (ut ait Syracides) ante omnia creabatur, excipiatur neceſſe eſt. An hoc notas Domine mi? Dixi enim tibi, ſpongiam tuam in Textus hujus inquiſitione nihil præter ſtramineam commenſalitatem habituram. Non ſpero equidem, te prælaturum Solem viſibilem ſpiritui huic divino, qui illi dat gloriam & activitatem. Quid? Creaturam Creatori? Materiam formæ? Patiens agenti? Iſthæccine dicitur Preſbyteri noſtri divinitas? An Philoſophia tantum ipſum docet? Quicquid Tullius dicat nobis, hunc eſſe revera ſolum in mundo actorem. Certum eſt, fuiſſe hunc ſpiritum, qui Tabernaculum ſuum in ſole poſuit, & per illum ſolum Sol vivit, movet atque operatur, hîc inferius, & illic ſuperius: Eſtque unus idemque ſpiritus, qui impertit omnibus creaturis, & per conſequens nobis hominibus vitæ ſpiritum, per quem vivimus, movemur & ſumus: ipſe eſt, qui reciprocè Tabernaculum ſuum poſuit in homine, æquè ac in ſole, ac proinde, nos dicimur mẽbra Chriſti & mẽbra ſpiritus ſancti, ex quibus Sapientia & ſagacitas Foſteriana, imò Theologi Chriſtiani probè diſtingui poteſt ac diſcerni, dicentis in Textu hoc: Sed D. Fludd. ad inſtar alterius Archimedis efficere novit unam operationem, emittendo radios ipſi ſimiles &c: Minimé verò, non uſque adeò audacter mihi aſcribant, quod ad ſolum Deum Creatorem meum ſpectat: utcunque licet Foſterus noſter Diabolo aſcribere volebat.

Eccl. 1.

Pſal. 19.

Act. 17.

1. Cor. 6. 19.
1. Cor. 12. 27.

Quod ad plenam reſponſionẽ ad hanc confutationem ipſius attinet, remitto vos (ut dictum eſt) ad membrum hujus tractatus ſecundum.

Procedã jam ad decumanũ illum inſultũ, in quo ſpongia ejus validè admodũ perfricat Textũ meum, ſed non proficit magis illis, qui lavare tentant Æthiopem; inanis prorſus, ſpero, labor videbitur.

CAPVT. VI.

Hîc contra Spongi Cabaliſtæ noſtri intentionem, probatur, primum, ſpiritus malignos poſſe contaminare & alterare in ſui naturam ſpiritum hominis aëreum: ut etiam, Diabolos habere corpora aërea conceſſa ſibi in creatione ſua, Poſtremò mutabilitas & inconſtantia Confutatoris in præcipuo ejus argumento aperitur.

Textus

Textus Fluddanus.

HInc igitur oritur secreta illa combinatio & unio, quæ efficitur inter malignum spiritum, & Cacomagos seu veneficos, quibus fatui ac stolidi turpiter à Diabolo decipiuntur: Vnde Diabolus seu spiritus malignus, illectamento hujus recompensationis complet voluntatem seu desiderium venefici: Atque insuper pangitur inter ipsos, ut scilicet spiritus in quacunque forma fugere possit quotidié sanguinis portionem, quo spiritus delitescens in sanguine magi fiat unius naturæ ac conditionis cum illo spiritus maligni: Atque in hunc modum spiritus ipsius convertebatur in conditionem Diabolicam, quæ impossibile est illi discedere à cultu & veneratione Diaboli.

Collectio Fosteriana in Textu.

Esse talem Sympathiam inter sanguinem incorpore, ac sanguinem tractum & exsuctum ex corpore, tam manifestum est, quàm manifestissimum, exemplo sagarum. Diabolus exsugit ex ijs sanguinem; sanguis cum Diabolo remanens participat de maligna ejus natura, recursumque habens, per ejus spiritus ad corpus sagæ, facit omnem ejus sanguinem sympathizare cum illo, quem habet Diabolus, atque ita sanguis mutat naturam veneficæ, Et ita evadunt malignæ ac Diabolicæ.

Hîc iterum cernere licet, illum Textum meum ultra verum torquere intentum sensus mei: Sed ipsi concedam desiderium suum, & morem geram bono homini in homore ejus.

Actus mundificantis ejus spongiæ super Textum hunc.

Fosterus.

Doctor probat exemplo sanguinis exsucti à Diabolo é sagis, qui cum Diabolo remanens & sympathizans cum sanguine in corporibus sagarum, mutat earum naturam, illasque reddit malignas ac Diabolicas. ô profundum exemplum! Hic Doctor conducit & colligit fundamentum argumenti sui, cuj nec Philosophia vera, nec Theologia orthodoxa nobis concedet, ut assentiamur. Sanguis veneficæ remanens cum sanguisugo Diabolo, sympathizat cum sanguine corporis veneficæ. Quomodo hoc fieri potest? Quomodò potest sanguis substantia corporea, remanere cum Diabolo incorporari. &c:

Hîc illa spongia ipsius validitas extorquetur.

Fludd.

O ingenium mirabile spongiferi nostri! ô lumen & intellectum spongiosum conceptus tam ardui? Sed, si herclé Angeli (ut ille ait) erant incorporei, quomodò potuisset cibus & potus, substantia corporea remanere cum Angelis, quos Abrahamus convivio excipiebat: Si erant incorporei, vel si assumebant corpora accidentalia, poterant edere ac bibere cũ illis naturaliter? An verò Abrahamus erat sensus tam expers, ut offerret cibum ac potum figuris fucatis & larvatis? Vir sane usquæ adeò profundus in mysterijs divinis, non foret tam socors, ut offerret illis alimentum suum, si sciviſſet, non naturaliter eos nutriviſſe. Eadem feré absurditas haud immeritò Lothoni attribui potuisset: Est enim herclè ultra captum mundanorum dextrè examinare, aut gnaviter aperire ac recludere hoc dubium. Sed suppone, concedi, Angelos ac Diabolos non esse corporeos, sed creaturas spirituales; attamen confitetur alibi, Diabolum posse induere atque assimilare sibi ullum corpus organicum, nimirum hominis, canis aut cati; ac per consequens Angeli illi induebant formas, humanas: Obsecro vos, cùm syringa, fistula, aut ventosa attrahit, estne organum, an verò spiritus in organo, qui attrahit? Homo non operatur corpore suo, sed spiritu interno: Nec sanguis quicquam ex se ipso agit, sed spiritu vivificante occulto, qui agit in eo: Guttur & lingua humana inserviunt pro organis vocis; sed est spiritus, qui agit. Si Diabolus intret in corpus, ut porci aut hominis; nonquid in usum adhibebat vocem bruti organicam, ac faciebat ejusmodi homines loqui ad Christum? Sed erat actus Diaboli spiritualis, qui miscebat se ipsum cum spiritu aëreo bruti ac hominis possessi, & causabat illum respondere pro voluntate agentis: Sic ergo dico, illum adminiculo oris ac spiritus creaturæ, quem illa induit, ex suxisse sanguinem; non, quòd sanguis in grossa sua natura morabatur cum Diabolo, in substantia sua spirituali: Sed, dico, substantiam in sanguine spiritualem, quæ ex aëre participat, facilé aptam esse se jungere & constituere unionem per contactum cum illo Diaboli: Perinde, ac videmus Ambram, cum comburitur, emittere

ſpiritum ſuum, qui uniens aut miſcens ſe cum aëre, inficit illum natura ſuâ odoriferâ, atque ita facta eſt communicatio actualis inter aërem ac fumum, inter ſpiritum unius & alterius; inter locum ſecretum ſeu latrinam vel contagium peſtilentiale puſtuloſum, & ſpiritum aëris infectum, qui aër communicat etiam infectionem illam ſpiritui odorantis. Iterum, nonne videmus in uno Epidemiâ infecto, primò fuiſſe ſpiritum corruptum, qui virtuali contactu ſuo, inficiebat non ſolum ſanguinem, ſed ſpiritus in ſanguine diviſibiles? Et nonne videmus etiam, eundem inviſibilem ſpiritum ſic inficientem, inviſibiliter etiam inficere aërem inviſibilem circum circa, & licet ex parte è corpore expirârit & ſanguine, tamen talem habet communicationem cum ſanguine, ut, nullo habito reſpectu fumus inviſibilis inficiat foris, non relinquens nihilominus perſecutionem Domi: Si itaque Althoin peſtilentiale ex ſurgens in uno homine (quod Propheta Abakuk vocat Dæmonium, ſeu Dæmonem Meridionalem) inficiat ſanguinem alterius ſpirituale, non eſt Carbunculus corporalis, qui illud efficit, ſed infectus in eo ſpiritus, Carbunculum itaque corporeum conferimus corpori à Diabolo aſſumpto. Quare, ut videmus, quòd, poſteaquam Carbunculus unius tetigerit perſonam alterius; ſpiritus facilé, ratione ſimilitudinis ipſorum reciprocé communicat cum altero: Ita, ut, licet ille, qui infectus eſt Carbunculo, diſcedat vel ad quodvis intervallum; tamen nihilominus ſpiritus malignans cooperatur cum ſanguine nuper infecti, convertitque eum abſolutè in naturam ſuam malignantem. Eſtne igitur poſſibile, ut malignitas Diaboli ſpiritualis ſuctione aliqua ſanguinis contactuali, contaminet & inquinet malignitate ſui ſpiritus ſpiritum ſanguinis humani exſucti, ac relinquat ita infectum & mutatum in propriam ſui naturam, pro ut ſpiritus venenoſus peſtilentiæ in diſpoſitionem Epidemialem? Nonne Diabolus operabatur idem effectum cum ſpiritu Iudæ, cùm diceretur: Immiſit Diabolus in cor Iudæ, ut Chriſtum proderet? Id eſt, inficiebat ejus ſpiritum prius, atque illi ſpiritus, corrumpebant ejus cogitationes ſeu mentem: Nam ſine adminiculo medio Diabolus etiam à cœlis depulſus, non poteſt moliri cœlum ex intellectu humano.

Iohan. 13.

Sed, ut reſpondeamus Foſtero in armis ſuis proprijs nitido, intelligo ſagaciſſimum illum virum, qui murem tam citò odorari poteſt. Quid verò putat, Diabolos tenuia corpora non poſſidere? Imò ſanè. Habet enim pro hoc (ut inquit) authoritates ſcripturæ, conſiliorum, Patrum ac ſcholaſticorum, qui confirmetur tantum. Sed in via & tanquam in tranſitu, inquit Doctor, qui impiè Deo attribuit compoſitionem, falſò audet Diabolis corporeitatem tribuere: In primo loco Foſterus habet Diabolum, Patrē mendaciorū pro Patre nutritio, qui & nutrire & fovere novit falſum ſuper quolibet: Sed, ut antè dixi, ſocors ille & mucoſæ naris monachus Merſennus dicit, nimirum, eò quòd aſſeveravi, ſpiritum Domini impleviſſe atque animaſſe ſpiritum cœleſtem; Ergo (inquit) Fluddus facit Deum partem compoſitionis, ac proinde D. noſter Preſbyter verba Monachi illius pro oraculo reputans abſque ulla ponderatione ſenſus hujus negotij inſtar Pſittaci hæc ipſa verba Monachi effutit: Doctor, impiè attribuit compoſitionem Deo: Sed ſi Dicam, Deum eſſe in compoſitione, non intelligo ut partem componentem, ſed, ut ſolum compoſitorem in compoſitione: iterum, ſi ab eſſet à compoſitione, verbum non diceretur incarnatum: Nec ſpiritus incorruptibilis eſſe in omnibus: Nec Deus poſſet ab Apoſtolo dici eſſe ſuper omnia & in omnibus.

Sed mittamus Paratticam ſeu paraſiticam garbam & acervum: Adducit ſcripturæ teſtimonia, & quæ ſunt illa? D. Paulus hoc habet: Non dimicamus contra carnem & ſanguinem, ſed contra malignitatem ſpiritualem ſeu malos ſpiritus in locis altis: & hanc ob cauſam Chriſtus ait: Contrecta ac tange me: Nam Spiritus non habet carnem & oſſa, ſicut videtis me habere.

Foſterus.

Atqui Diaboli non poſſunt contrectari nec palpari.

Ergo non habent corpora.

Fludd.

ECce hîc ſuperbum argumentum, quia Diaboli, ut ſunt in tenui ſuo corpore aëreo, tractari non poſſunt. Ergo non habent corpulentiam ullam: Equidem ſcire vellem ex argumentatore hoc acuto, quod nam corpus organicum pro loquela habeat hic ſpiritus, quando ipſe in verbis reciprocis ac vocibus tentaret Chriſtum? An exiſtimat, ipſiſſimum aërem (qui eſt Diaboli externum, ut mox probabitur) non eſſe corpus ſpirituale, quando poteſt palpari, audiri, aut intelligi, licet non inſtar carnium ac oſſium? Nonne Apoſtolus mentionem facit corporis alicujus ſpiritualis ſeu cœleſtis ac tenuis, & corporis terreſtris ac groſſi?

Veriſſimum eſt, eſſe nonnullos Patrum, ac ſcholaſticorum, qui ſunt in opinione, Angelos eſſe abſoluté incorporeos, ut damaſcenus, Thomas Aquinas, Denis &c: Sed tot ſunt ex altera parte; imò & plures Doctiores, qui contrariæ ſunt opinionis, quod

quod ad existentiam corporalem spirituum horum, ac dicunt simpliciter, Angelum esse substantiam corpoream, & per consequens Angelos posse sine ullo errore vocari creaturas corporeas & in hoc quidē Patrum numero sunt Basilius, Origenes, Gregorius, Augustinus. Isidorus, Petrus Lombardus. Atque ex Philosophis Mercurius Trismegistus cum tota Academicorum schola. Et quod ad D. Augustinum, dicit ille, in libro suo super Genesin expressis verbis, Dæmones esse aërea ac ignea animalia, & consequenter illis assignat corpora aërea: Vicissim alibi affirmat, Angelos in creatione sua habuisse corpora aërea, videlicet formata atque effigurata ex parte puriore aëris superioris, qui redditus est promptior ac magis proprius ad agendum quàm ad perferendum: & asseverat, malignos Angelos ratione defectus sui fuisse mutatos, quo ad corpora sua & esse externum in naturam aëris grossioris, ut potius promptiores efficerentur ad perferendum ignis tormenta. Et Petrus Lombardus inquit: Angeli corpora, in quibus hominibus apparent de summo aëre sumunt, solidamque speciem ex cœlesti. Elemento in duunt, ut humanis obtutibus. Manifestè demonstrentur: Ita, ut evidens sit, Augustinum & ipsum in uno consentire, Similiter Basilius nos docet, qualia corpora Angeli habeant, cum inquit: Sunt spiritus tenues, aërei ac puri: Iterum Artephius sapiens ille vir ait, Externum diaboli esse aërem, sed internum ejus esse ignem. Quam ob causam demonstrat, facile esse illi, nimirum respectu externi sui, seu corporis se in sinuare ac participare cum aëreo ac sanguineo spititu in homine & per consequens efficere in eo morbos calidos atque igneos.

Sed cur quiescerемus Duntaxat (ut Fostero mos est) in nudis Authoritatibus: Deveniam jam ad planas probationes Philosophicas, quibus expediam dilucidé ac demonstrabo, Angelos habere animas & corpora seu externa & interna. Primò sciendum est, si essent Identitas, id est ex una simplici existentia formali, unum idemque essent in essentia cum Deo Creatore suo, qui dicitur Identitas seu unitas absoluta & simplex: At verò, quatenus componuntur ex duobus, ex luce scilicet, quæ est radius Dei, quem recipiunt, ut informentur ac fiant creaturæ; ac spiritu: Qui ad instar speculi perpoliti recipit gloriam lucis illius cœlestis: Dicuntur Alteritas, id est, ex duobus compositi. Atque hoc vivissimis exprimitur coloribus apud D. Denim, cùm vocat eos Algamatha, id est specula politissima, recipientia lucem Dei: Ac proinde definit Angelum Dei imaginem, emanationem lucis occultæ, speculum purissimum ac splendidissimum. Et Damascenus dicit, eos esse spiritus intellectuales, habentes lucem (tanquam animam suam) à prima luce. Et Salomon depingens principem omnium Angelorum (qui, ut Ecclesiasticus ait erat ante omnia creatus) esse Candorem lucis æternæ & speculum sine macula Majestatis Dei. Ex quibus claret, Angeli internum & quasi animam ejus esse splendorem emanationis divinæ: Internum ejus politum ac purum aëreum esse corpus ejus spirituale, quod hoc lumen recipit: Nam notandum est nobis, in principio cœlum ac terram factam esse ex aquis & per aquam consistentem per verbum, ut D. Petrus habet: Ac propterea totus mundus erat compositus ex interno aut invisibili, quod est anima sive spiritus animatus verbo Dei & externa ac visibili terra & aqua quæ corpus est: Sic necessariò sequitur, omnem creaturam compositam esse ex interna seu activa anima, & externo aliquo seu organico receptaculo animæ illius, quod corpus est: Nonne manifestum est, quod, cùm spiritus Ruach-Elohim moveretur super aquas, aqua erat patiens Catholicū, ac spiritus agens internum? Nam D. Augustinus super Genesin inquit, Spiritus ferebatur super aquas, igneū ijs vigorē impertiēs: Ita, ut aquæ spirituales creatæ Catholico animatæ fuerint flatu spirituali, in creato Catholico ac luce vitæ, cujus spiritus in qualibet creatura est spiritus vitæ, ac ob id centralis eorum anima: & creatura animata est corpus. Quapropter, ut purior ac spiritualior aquæ aut aëris pars, Angeli est externum, sic ejus internum est actus lucidus spiritus Dei.

Sapien. 7.

Petri. 3.

Genes. 1.

Iam igitur sic concludo; si substantia externa Angeli sit aër (nam necesse est sit vel de aqua spirituali, vel de substantia Dei, quæ meré est formalis & non materialis) scimus enim regulis Philosophiæ, aërē subtiliatum esse ignem, & vicissim aërem inspissatum esse vaporem, nebulam, nubem, atque ita per inspissationem aër in visibilis fit substantia visibilis; imò & organum corporeum vocale, ut in fulgure apparet, quæ anima nubis, nisi habeat organum suum nubilosum, seu instrumentum corporeum, non loquetur in Tonitru. Invenimus itaque ex sacris, Deum dici loqui ex nube sua organica, & ab illam ipsam causā Textus vocat illud in uno loco latibulū Dei, in alio Tugurium Dei & in alio vehiculum ac currum Iehovæ: Ita, ut si Iehova faciat Tabernaculum hoc organicum, ut edat vocem suam auribns mortalibus (ut scripturæ multis in locis testantur) non est peccatum dicere, spiritus hosce inferiores habere pro corporibus suis externis substantias aëreas: Quo concesso, quid impediret spiritus, quin contractione substantiarum suarum externarum appareant visibiliter, quando illis libuerit, & colloquantur cum homine organicé, prout tentans ille spiritus loquebatur ad Christum? Et iterum, dilatatione aliqua immediatâ ejusdem spiritus aërei externi evadant invisibiles; non aliter, ac fumus dilatatione evanescit, seu nubes aut nebula conflata ex aëre compacto & crasso, sæ-

2. Reg. 22. Iob. 22. 13. Psalm. 104.

Num. 11. 25. Psal. 105. 47.

so sæpenumerò absque apparentia ullius guttæ pluviarum transit invisibiliter? Nonne peregrinum erat, Christum ipsum, qui carnẽ ac ossa habebat apparere etiã januis clausis & evanescere immediatè? Et tamẽ, si consideremus, quòd, postquã surrexerat, induebat corpus spirituale; illud ipsum corpus eam ob causam poterat deponere Tabernaculũ suũ visibile ac tangibile & subtiliatione ac dilatatione fieri æquè subtile ac impalpabile, ac voluntati ejus libebat, qui habet corpus spirituale: Atque ita potest apparere atque evanescere in instanti. Est speculatio admirabilis debito modo considerare ac ponderare, quamodò Deus operetur in hoc mundo per contractionem ac dilatationem, privationem & positionem, per tenebras & lucem, per apparitionem ac disparationem, prout videmus, cùm spiritus ipsius movetur à septentrione; aër communis, contractiva illius spiritus natura, vertitur ab invisibilitate in visibilitatem, à transparentia in opacitatem, ab aëre in nives, grandines, gelu, glaciem, à levitate in ponderositatem, ab agilitate ac mobilitate in fixationem & immobilitatem: E Contra verò flatu ejus ab oriente seu Meridie, dicta corpora rursus mutentur in aquas, & aquæ in aërem, atque aër in ignem dilatatione: & finaliter, corporeitas terrestris in corporeitatem aëream ac cœlestem, durities in salsedinem, grossities in subtilitatem, opacitas in transparentiam, fixatio in mobilitatem, quies in actionem, tenebræ in lucem! & ultimò contractio, effecta per hunc divinum spiritum, in dilatationem, visibilitas in invisibilitatem. Quid plura? Si omnis generis Angeli habeant suum externum à spiritu mundi aëreo, & actum suum internum ab hoc spiritu externo vivificante, in quo est quatuor ventorum proprietas (ac proinde, inquit Propheta, veni, ô spiritus à quatuor ventis, quibus arguit, hunc unum spiritum, tanquam actorem essentialem in quatuor ventis, habere proprietates quatuor ventorum in se, quibus agit omnia, unde Propheta evocat illum à quatuor ventis.) non decet nos ulle modo dubitare, quin virtute actus illius interni & substantiâ aëris illius sui externi, possint contrahere sese ab invisibilitate spirituali, ignea ac aërea in nebulosam seu aquosam imò & visibilitatem terream, seu naturam nivalem aut glacialem, præcipuè spiritus grossi, maligni & tenebrosi, qui per lapsum suum indueruunt aërem grossiorem (ut Augustinus ait) Atque hæc est ratio, quòd Satan vocatur ab Apostolo aëris princeps: & hinc est, quòd Diabolus seu spiritus maligni in contractione, convertant se ipsos in figuras solidas seu firmas hominum vel brutorum, & in tactu apparent usque adeò intensé frigidi (Ex confessione Fosteri) videlicet, eò, quòd spiritus, à quo vivunt, contrahens sese à circumferentia seu aëre dilatato in centrum, seu terrã contractam, relinquit compositionem externam sive aëream compactam, frigidam instar glaciei: Est enim emanatione seu dilatatione ejus à centro ad circumferentiam, quæ incendit calorem naturalem in externo creaturæ cujusvis. Vt concludamus contra eos, qui negant, spiritus habere corporeitatem, certissimum est, quòd, ubi est rarum & densum, ibi, per consequens, est corporeitas sive tenuis sive spissa. Quicquid enim in sua substantia est transmutabile in corpus tenuius vel spissius, corporeum sit oportet, licet non sit corpus visibile: Sic stella in cœlo vocatur densior sui orbis pars: Sic etiã ignis condensari in aërẽ potest, atque aër in aquã & aqua in terrã: & iterum terra rarefieri potest in aquam, & aqua in aërem, & aër in ignem: Talis enim est naturalis Elementorum rotatio: Iam verò externum Angelorum creatum sit oportet ex substantia spirituali mundi superioris, vel non omnino: Iuxta tenorem Basilij, & per consequens est corporeum, licet consistentiæ tenuioris seu spissioris pro dignitate Angeli. Nonne David agnoscit tantum in his verbis: Qui facit Angelos spiritus seu aërem ventosum, & ministros ignem urentem. Ac proinde dedecus est, ejusmodi mysteria, qualia sunt hæc, quæ considerantì admodum manifesta sunt, ab ignorante seu imperito derideri, nec opera & operationes spiritus Dei existimari in communi mundi Elemento, sed Diaboli; atque ita cæcitate sua capiunt malum pro bono, tenebras pro luce: Quod genus hominum Propheta indigitat in hisce verbis: Væ illis, qui loquuntur bonum ex malo, & malum ex bono, qui ponunt tenebras pro luce, & lucem pro tenebris, qui ponunt amarum pro dulci & dulce pro amaro: Væ illis, qui in proprijs sapiunt oculis, ac prudentes in proprio sui conspectu.

Ezekiel. 36.

Psalm. 104.

Esai. 5. 20.

Sic itaque, lector judiciose, percipere licet ex his, quæ in hoc membro expedita sunt, quàm impotens extiterit adversarij mei spongia ad expungendum ac delendum vel minimum titulum naturalis illius valoris ac virtutis divinæ, quam in Anatomia mea mystica ascripsi Vnguento, armario. Ac propterea, quantum quidem mihi videre licet, ad invenire licet ipsi plura media substantialia, quàm est spongia hæc (expressum enervati cerebri ac ingenij phantastici argumentum) ad subvertandam medicinam tanti momenti & virtutis admirabilis in operando. Sint ipsi, inquam, necesse est, validissimi rudentes, loco spongiæ leviss imæ, ad removedum fundamentum veritatis; & tamen vereor, ne rumpantur, antequam sapientes ad fidem trahant, nimirum dona benefica sanationis in hoc unguento armario, procedere à Diabolo, nec verò à Deo ac benigna ipsius clementia & misericordia, qui solus est dator sanitatis & bonitatis.

Iam.

Iam verò vobis in memoriam revocem neceſſe eſt, tanquam in tranſitu, abſurditatem ſpongiferi authoris noſtri: Nam inquit, hunc curandi modum Diabolicum eſſe, & poſtmodum effecta illius urinæ humanæ attribuere videtur: Verba ejus hæc ſunt.

Pag. 8. Directiones D. Fluddi ſunt, ut arma in myrethecico relinquerentur, dum conſaneſcat patiens, & ut vulnus mundum conſervetur linteolo, quovis mané, in urina ejus madefacto: an hæc ſit fallacia nec ne, eorum committo judicio, qui in re Chirurgica periti ſunt: nam certum atque perſuaſum ſibi habeat Doctor, ſi vulnus mundum ſanetur, eos dicturos ipſi, illud cicatricem obducturum ſine unguento armario.

Fludd.

Ad hæc reſpondeo, mendacem oportere eſſe memorem: nam meminerit oportet Foſterus noſter, ſe alibi dixiſſe: Diabolus ſecretò applicat aliam quandam operativam medicinam ad curandum vulnus, & medicos circumforaneos incredulos deludendos &c: Et hîc recludit, cauſam curationis eſſe mundificationem vulneris, linteolo in urina vulnerati infuſo & applicato non à Diabolo, ſed ab homine: dicendo, in ſolo illo curationem conſiſtere ſine Vnguento vulnerario: & in teſtimonium vocat omnes verſatos artiſtas Chirurgicos, ut confirment verba ſua vera eſſe. Quod cum ita ſit, quæ Dei benedictio evenit ex aſtutia Diaboli in hac curatione? Vel in quo apparere poteſt Diabolicum? aut quomodo ille quicquam applicat aſtuto modo ad deludendum medicos circumforaneos incredulos? O vacillationem titubantis cerebri obliviſcentis argumentum ſuum & præpoſteré devorantis verba propria.

CAPVT. VII.

In quo totum ſubjectum paucis contrahitur & abbreviatur.

PErcipere licèt, lector candide, ex hiſce, quæ jam dicta ſunt, quòd, licét adverſarius noſter conatus fuerit, ut Iudæi Servatori noſtro, crucifigere vel potiùs oblivioni mandare veritatem, tam virtutis operantis Vnguenti armarij, quàm conatuum meorum honeſtorum, in cruce cacomagica convitiorum, nobiſque in agone noſtro, nimirum, cùm reputatio noſtra jacet ſanguinem fundens, offert ſpongiam deſtructivam ſeu abolitivam aceto ac felle turgentem, intelligo aeri calumniationis condimento, amaroque indignationis ejus inhumanæ ſapore, loco conſolationis Chriſtianæ: imò, licet, inquam, flatus tempeſtuoſus ſpiritus ejus aeerbiſſimi, fecit quod in ſe eſt, ut reputationi utriuſque quaſi naufragium induceret, & ut ad inſtar Ionæ alicujus, ejiceret in maria turbata cenſuræ hujus mundanæ, ubi fluctus tumidi variorum affectuum conflictantur impetuoſè, & quaſi ſuffulciunt ſe atque reſiſtunt ſibi invicem (nam ex illo eſt Theorema, quot homines, tot ſententiæ) quomodò poſſibile eſt, placere ac morem gerere cuivis in humore ſuo? Et quamvis Leviatham ſpongioſus ſeu ſuperbè tumens & inſultans cete Foſteri abſorberet ad tempus in ſuum oblivionis ventrem, honorem & æſtimationem utriuſque horum Vnguentorum, & me pro temporis intervallo: tamen (Deo meo ago gratias) largitus eſt mihi gratiam illam, ut ita exprimam & extorqueam illud cete ejus præſtigioſum, ſeu devorantem ſpongiam, quæ etiam eſt maris progenies, ut jam jam eundem in modum veritatem illam evomere cogatur, in hanc noſtram littoris plagam, non parum incredulitate hujus curandi modi infectam ut verum cete olim Prophetam Ionam ſuper littus Ninivitarum incredulorum, ut incredulitas ac ſuſpicio hominum ejuſmodi Zeloſorum, qui ſeducti fuerunt ab adverſarij noſtri Leviathano ſeu monſtro ſpongioſo, eò faciliùs aboleantur, faciendo veritatem abſorptam ac devoratam reviviſcere & quaſi effulgere & reſurgere, ut ejus luce omnes nubes ejuſmodi obſcuræ, quæ pepererunt & aluerunt talem incredulitatem, nimirum velum religioſum aſtutiæ mundanæ M. Foſteri, error ejus doctrinæ & poteſtas curativa, quàm falſó Diabolo aſcribit, detegi poſſint oculis cujuſvis ſapientis ac judicioſi lectoris, & ut incredulos cum Ninivitis pœniteat erroris ſui ac convertantur ab ejuſmodi illectamentis idololatricis, quæ perſuaſerunt ipſis, ut aſcriberent pia ac benefica dona ſanationis per Vnguentum armarium falſó principi tenebrarum, qui per hominis errorem uſurpat ſibi titulum principis ſeu ſatrapæ hujus mundi, qui jure, idque ab omni æternitate ſpectat Deum verum lucis, qui fecit & cœlum & terram ac ditavit eos omnis gêneris virtutibus: Sed, ſi in poſterum accidat, ut obſtinati quidam incredulí (intelligo apparenter Zelotypum ſine intellectu, de quo D. Paulus loquitur) ad inſtar canum revertantur ad vomitum; Mihi itaque dicendum ac confitendum eſt, eos tantum, juxta ſpeciem ſuam facere, ac propterea potiùs commiſerandos, quàm invidendos odioque habendos: & per conſequens verba Servatoris noſtri tam ſiniſtrè applicata ab adverſario noſtro in ejus Epiſtola dedicatoria, percommodé Deo effundi poſſunt pro viris hiſce: Pater ignoſce illis, nam, quid agant neſciunt: ob hanc cauſam igi-

tur præcipuè hoc pamphletũ meum dirigo ad omnes, qui ſunt zelotypi, intelligẽtes ac judicioſé docti, ſubmiſſé rogans eos atque obſecrans, ut hoc breve proplaſma ac typum diſputationis noſtræ recipiant in conſiderationes ſuas maturiores, atque quodlibet ejus membrum, veré, (omni ſeparata partialitate, ſchiſmate) lance ac trutina diſcretionum ſuarum honeſtarum ac piarum, ponderent.

Examinent, inquam, in ſelectiſſimis cogitationibus, idque ſeriò, an hæc curatio procedat à dono illo virtuoſo, quod Deus impertivit in creatione hiſce naturalibus ſuis creaturis, ac continuavit illud in ijs ſucceſſione generationis ac multiplicationis verbo ſuo omnibus numeris completo, ad hunc uſque diem, vel à mero actu & aſſiſtentia diaboli, cujus proprietas, ſtatim poſt ejus creationem per lapſum ejus eveniebat diverſa, ad percutiendum, affligendum, ac deſtruendum, non verò ad curandum & ad exhibendum tantum benefactorem humano generi. Conſiderent illi verba Apoſtoli, affirmantis, deum operari omnia in omnibus: ac proinde agit quando libet in & per Diabolum tantum ad morbum, mortem ac deſtructionem, ſed non ad ſanitatem & conſervationem: obſerva Textũ Davidis aſſeverantis, Deũ verbo ſuo perſanaſſe eos, qui percuſſi fuerant morbis; cum reverterentur ad ipſum: & nonne per verbum dictum, curat omnia? Omnino: Nam Salomon dicit: Extendit miſericordiam ſuam afflicto ſerpentibus, emittitque verbum ſuum ad orandum illos, ipſiſſimum verbum ſuum, quod perſanat omnia. Sed Diabolus nec Deus eſt, nec Dei verbum, quare concludam argumento hoc adamantino.

Pſal. 107. 20.

Sap. 16. 10.

> Si Deus noſter miſericors, curat omnia benignitate ſua, idque per verbum ſuum, Diabolus nihil curare poteſt, & per conſequens non poteſt præſtigioſé ſimulare curationem ſub umbra ac prætextu unguenti armarij.

Major evidens eſt, quoniam, ſi verbum ſanat omnia, generalitas illa ſuperior concludit omnes particularitates inferiores, ac proinde omnis facultas abſoluta curationis, adimitur Diabolo.

Minor ſimiliter confirmatur verbis antè dictis: Ac primò Prophetæ Davidis Emittit verbum ſuum ac ſanat eos, & à ſepulchris eos liberat, confiteantur coram Domino amicabilem ejus benignitatem &c: Quibus apparet fuiſſe jucundam ejus benignitatem, non verò ſeveritatem & vindictam ejus, quæ verbo ejus ſanabat ac medebatur. Atque iterum à Salomone, ſed Deus Draconis venenoſi non poterat ſuperare Filios tuos: Nam miſericordia tua veniebat adjutum eos, ac eos perſanabat: Nam nec herba, nec malagma curabat eos, ſed verbum tuum, ô Domine, quod ſanat omnia: tu enim vitæ ac mortis poteſtatem habes & deducis ad portam inferni ac reducis &c.

Pſal. 107. 20. 21.

Sap. 16. 16.

Iam equidem ſcire vellem, an deceat ullum vere Chriſtianum, opinio, Diabolum poſſe imperare Dei miſericordiæ, atque ita eſſe Dominus verbi ejus pro placito ſuo, ad ſanandas Dei creaturas, imò quidem aliquis creatus juxta propriam ipſius imaginem ullius malefici ſtraragematis cauſa, nimirum ad lucrandum & corpus & animam à Deo: Nonne dicit Iob: Inmanu Domini eſt vita cujuſlibet creaturæ viventis & ſpiritus omnis carnis? Poſtremò, ut D. Iohannes veré aſſeverat, in verbo fuiſſe vitam: ſic certum eſt, omnem virtutem ſanativam & reſtaurantem eſſe ab hac virtute vivifica in verbo, non verò à privativa potentia Diaboli, in qua è diverſo eſt mors ac deſtructio. Prætereà vellem vos notare hæc Apoſtoli, verba: Iam verò donationes ſunt diverſæ, ſed idem ſpiritus, & ſunt operationum diverſitates, ſed Deus eſt idem, qui operatur omnia in omnibus: Sed illi datum eſt per ſpiritum ſapientiæ donum, huic verbum ſcientiæ, alij datur Fides, atque ali donum ſanationis per eundem ſpiritum &c.

Iob. 12. 11.

1. Cor. 12.

An ullus probus Chriſtianus imaginari poterit unum hunc ſpirirum, qui ſolus hæc operatur, eſſe Diabolum? Minimé verò: Nam in verſu tertio Apoſtolus vocat illum Spiritum ſanctum. Quid igitur? Diabolum mederi per Spiritum Sanctum? Vel Spiritum Sanctum conceſſurnm Spiritui maligno ſuum donum beneficum ſanationis, ad imponendum humano generi & ad expoliandum Deum jure ſuo? Abſit, ſed cum juſtitia tribue Deo, quod Dei eſt, aſſignans Diabolo proprietatem illam, quam ſortitus eſt à Deo Creatore in principio: Prior Spiritus ab omnibus creationibus ordinabatur in officio ſuo bonus, vivificans ac vegetans; poſterior verò malignus, deſtruens ac mortificans: Nam apud Prophetam dicitur in perſona Dei: Ego creavi deſtructorem ad diſperdendum.

Eſai. 54. 16.

Audacter itaque concludam atque abſolvam Pamphletum hoc meum, ſeu diſcurſum modicum, pro ut cœpi, nimirum verſu hoc religioſo citato in hymno divino Pſalmiſtæ regalis in honorem Dei, & ad potentiam adimendam vel Diabolo vel ulli alij creaturæ operandi miracula eſſentialia à ſe vel perſe.

> Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui facit mirabilia ſolus.
>
> Vel ut habet alibi.
>
> Confitemini Domino Dominorum, quoniam in æternum miſericordia ejus, qui facit mirabilia magna ſolus.

Pſal. 71. 18.

Pſal. 135. 3.

Ac propterea, ſi Dominus Dominorum ſolummodò, vel ſolus, non habet ullum hominem mortalem ad juvandum ſe; ſi ipſe ſolus, tunc non ullus Angelus in cœlo: Ac poſtremò ſi ſit Deus ſolus ac ſolummodò non ullus infernalis Diabolus, nec Dæmon, aut ſpiritus Elementi ignei aut aërei, ſeu

aquei ſeu terrei, qui aſſiſtat ei: Nam Textus habet. Eſt Dominus dominorum ſolus, ac propterea non ulla ad illum juvandum creatura, aut quæ valeat perficere hoc ſine illo: eſt ipſe, inquam, ſolus; & per conſequens, non diabolus, qui miracula operatur. Sed ex agnitione ac confeſſione cujuſliber hic curandi modus eſt mirabilis, quatenus operandi in eo ratio excedit captum intellectus hominum mundanorum: quare cum Davide dicam.

Benedictus Deus, qui facit tale mirabile ſolus: ac per conſequens inferre mihi licet inſuper (idque haud immerito) maledictus homo, qui divina falſó attribuit Diabolo.

Idcirco optarem, quemvis hominem Zelotypum ac religioſum, inviolabile hoc emblema animo ſuo in ſculptum habere, ut virtute ejus fugeret ac ejiciat ex cogitationibus ſuis perſuaſiones omnes ejuſmodi irreligioſas, quæ commovere ipſum poſſent ad derogandum vel hilum Dei poteſtati, qui eſt Alpha & Omega, principium & finis omnium, ad arrogandum illud falſó Creaturarum viliſſimæ, qui in ſe nihil eſt, niſi quod Deo collibuit, ut ſit, ex ſe nihil habet, niſi quod Deo libet erogare ipſi, & per ſe ipſum nihil præſtare poteſt, niſi quod Deo libet in eo agere, & per illum, id facit, nec quicquam aliud. Propterea, quod Deus non vult, id non poteſt facere: Hoc igitur eſto Emblema veſtrum.

Tò Télos pàntoon kai Archæ to Theòs.
Finis omnium ac principium eſt Deus.

Atque hanc ob cauſam Reuclinus in libro ſuo de verbo mirifico inquit: Omne hominis miraculum, cujus vera & non imaginaria deprehenditur ſubſtantia, tum grande, tum mediocre, tum minimum, ſi ordo ſacrorum præſcriptus obſervetur, referendum eſt ſemper in Deum glorioſum, cujus nomen eſt benedictum in æternum: Is enim Solus eſt, qui vel a ſe ipſo, vel delegato, non ſine ipſo, vel per ſubſtitutum ex ſe ipſo, talia facit, qualia demiramus: quorum cauſam ad æquatam ſcire non poſſumus, vel quod fiant, vel quod homodo fiant. Huc uſque Reuclinus.

Ac proinde in periodo hujus Tractatus haud immeritò applicare & allidere licet Foſtero ejuſque aſſeclis væ illud Eſaiæ contra ejuſmodi homines, quorum mentionem ipſe feci in principio; quatenus nimium quætum præſumentes ſapientiâ ſuâ mundanâ, hæſitanter, præ poſteré & cæcitate quadam aſcribunt opera Dei Diabolo, facta ſcilicet bonitatis malo; effecta lucis tenebris.

Eſaias. 5. 20. 21.

Væ illis, qui loquuntur bonum ex malo, ac malum ex bono, qui ponunt tenebras pro luce, & lucem pro tenebris; qui ponunt amarum pro dulcore, ac dulcorem pro amarore acido: væ illis, qui ſapiunt in oculis proprijs, ac prudentes in conſpectu ſuo proprio.

Relinquo hæc (lector cordate ac erudite) ut dixi ante, acerrimo, maturo ac ſerio conſiderationis tuæ judicio liberum, exoptans, ut lanx æquitatis in judicio tuo veré proportionetur, nec inæqualis corrupto ac impio reddatur ſchiſmate.

FINIS.



Errata hæc, quæ partim Ammanuensium, partim Typographorum incuriâ irrepserunt, Benevole Lector, sic corrige. Reliqua quæ occurrent ex textus sensu facile emendare poteris.

Fol. 5. col. 2. lin. 48. (*lege*) di origine inter Philosophiam veram atque essen-
col 4. lin. 19. (*lege*) lapidem Angularem fundata in contemptu habere-
fol. 6. col. 4. lin. 17. (*lege*) & spuria ut in sequentibus aperté demon-
fol. 8. col. 4. lin. 25. (*lege*) rica verbis secunda vice editi virtute, aquæ supe-
fol. 9. col. 1. lin. 1. (*dele*) stat, ut creatura agat per se, hoc
fol. 12. col. 1. lin. 31. (*lege*) neque unquam antea fui, ne quidem ex
fol. 13. col. 3. lin. 4. (*lege*) tribilem, quæ inest cuilibet creaturæ adeo negligant, eam-
fol. 14. col. 1. lin. 25. (*lege*) simplici Dei, ut exinde infinitæ hujus mundi
col. 2. lin. 59. (*lege*) terra præstante? Quid pluribus opus est
fol. 15. col. 3. lin. 57. 58. (*lege*) tria derivatis: Cum in ita faciendo ab unitate recedimus & in abyssum multitudinis, seu
fol. 16. col. 3. lin. 13 (*lege*) esse in omnibus & super omnia asseverare animadvertunt, tamen
fol. 17. col. 2. lin. 51. 52. 53. 54. (*lege*) derivantur quibus cœlum, terra & omnia ex istis composita videlicet corpora tam meteorologica quam quæ in suâ compositione sunt completa seu perfecté mixta perficiun-
fol. 18. col. 3. lin. 38. 39. 40. (*lege*) ria naturalium & rerum formâ facit mentionem suo sensu, tametsi internas earum essentias ignoret. Causas nivis
fol. 21. col. 1. lin. 22. (*lege*) qui mundanæ suæ sapientiæ seu Philosophiæ structuram-
lin. ultimâ (*lege*) mundo actus aut actionum effectus agnoscere
col. 2. lin. 47. 48. (*lege*) scientia in scripturis sacris quæ veræ sapientiæ sunt fontes, pùblicata, libenter
col 4. lin. 27. (*lege*) in Natura lumine, quod prima essentia & materia om-
fol. 22. col. 3. lin. 51. (*lege*) intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei,
fol. 23. col. 4 lin. 18. (*lege*) spiritualis Christus sit Sapientia, Virtus, Cla-
fol. 24. col. 1. lin. 7. (*lege*) huc particulariter discurrere quæ annis, quo cognoscatis
lin. ultima (*lege*) dixisset: Emanatione tuâ sanctâ aquæ ex
fol. 26. col. 1. lin. 1. (*lege*) li suo statu operatur ad compescendos & oppugnan-
fol. 27. col. 1. lin. 24. (*lege*) Ita etiam siccitas est nihil, aliud quam na-
col. 3. lin. 57. (*lege*) & motor qui (ut Moyses testatur) facit omnia
fol. 28. lin. 3. à fine (*lege*) in libro primo sectionis hujus secundæ efficiam,
fol. 29. col. 1. lin. 58. (*lege*) & per quos ventorum quatuor flatus
fol. 31. col. 1. lin. 60. (*lege*) Nam quælibet chordæ æqualiter divisæ
fol. 32. col. 1. lin. 63. 64. (*lege*) plicatione & calorem innatum illis assignatum à Solaris Tabernaculi plenitudi-
col. 2. lin. 5. (*lege*) qui solus agit & operatur; à scribit & non
fol. 33. col. 1. lin. 4. à fine (*dele*) ea mensura
col. 4. lin. 39. (*lege*) versarum dispositionum miserat à quatuor ventis
lin. 43. (*lege*) teorologicas, ubi & quando ei placuerit mutandum. Et
lin. 45 (*lege*) ex aëre Catolico effigies efformandas quod
fol. 34. col. 1. lin. 19. (*lege*) gelativam aquæ gelidæ dispositionem.
fol. 35. col. 2. lin. 26. (*dele*) abit
fol. 36. col. 2. lin. 59. (*lege*) præsentiâ & actione benignâ Spiritus Dei
fol. 38. col. 1. lin. 27. (*lege*) cto aëre: Est ergo
col. 4. lin. 13. 14. (*dele*) per quindecim horologij gradus
lin. 17. (*lege*) rum in suo motu retrogredi per quindecim horologij gradus regnante He-
fol. 40. col. 1. lin. 7. (*lege*) tionis ipsorum inexspectatæ, nam subitó appa-
2. lin. 4. (*lege*) phiæ ethicorum cæno extrahere. cui mundus Chri-
fol. 53. col. 3. lin. 53. 54. (*lege*) refacere ita ut quod in formâ vapurosa assurgit super terram, illud nocturno tempore
fol. 74. col. 1. lin. 43. 44. (*lege*) ejusdem quasi pro aquis inferioribus, quarum basis est terra, haud injuria accipitur, atque quod
fol. 80. col. 4. lin. 16. (*lege*) est nisi aër virtute secreti illius spiri-
fol. 91. col. 3. lin. 14. (*lege*) quatuor sunt Antesignanę, nempe Michael,
lin. 59, 60, (*lege*) divinâ essentiâ deducam, quæ ad voluntatem suam in proprietate variâ complendam, po-
fol 92. col. 1. lin. 16. (*lege*) ejusdem per animæ mundanæ rare-
lin. 54. (*lege*) ve aquea mundi natura virtute istius essentialis spiritus
fol. 95. col. 4, lin. 46, (*lege*) mur, quod vitalis actio, quæ gubernatur

fol.97.col.1,lin.52. (*dele*) hoc ſtudiorum noſtrorum in
fol.101,col.3.lin.17. (*lege*) Thronis Angelicis qui radicaliter eam accipiunt à
lin.33, (*lege*) qui immediatè res iſtis efficit, mediatoribus or-
fol.113,col.4,lin.49, (*lege*) ipſe non ad ſe attrahit evidenti dilatatione à calore vivi-
fol.114.col.4,lin.23, (*lege*) reſpectu generationis & partis ſui innatura-
fol 116,col.1,lin.38,39, (*lege*) bus arguere videtur diſtantiam incommenſurabilem ad
quam occultus ſtellæ ra-
fol.119,col.1,lin.14, (*lege*) creatura naturali quædam inſtinctu
col.2,lin,12, (*lege*) pluribus relatam experiretur, primum linteam
fol.120,col.1,lin 3, à fine (*lege*) unt, qui ipſis judicibus temporarios limites pro
fol.122,col.4,lin.4, (*lege*) morum civitatis, quodam veneno tetigit,
fol.123,col.1,lin.10,(*lege*) tuorum poſt mortem hominum pro veneficis
fol.124,col.2,lin.4, (*lege*) pulverem iſtiuſmodi exitialem ſparſum per plateas
lin.39, (*lege*) modo ipſi Deo notum ſit, ſed etiam hominibus intel-
fol 126,col.4,lin.13, (*lege*) gione voces ipſius ad ſenſum malevolum convertendo.
lin.43, (*lege*) in aëre & volati eorum ſale, quod
lin,45, (*lege*) ad inſtar nivis & pruinæ condenſatur, quam
fol,128,col,2,lin,47, (*lege*) inimici actus munit.
fol.131,col,3,lin,3, à fine (*lege*) ſolicitatus, ut utrem cujuſdam fœminæ
fol,134,col,2,lin,14, (*lege*) quo pluvia cadit ab ædibus, & imponuntur ſtramina
col,3,lin:27, (*lege*) corpora uniri. E finis convenienter & de-
fol,135,col,1,lin,42, (*lege*) guenti, ſeu potius Spirituum ibidem in-
col,2.lin,21, (*lege*) tus, gelidos, fixos, vel Boreales reviviſcent, qui
lin,5, à fine (*lege*) Etiam, ſi locus teliunctus temperate
lin,4, à fine (*lege*) teneatur calidus, vulnus ſe taliter quoque habe-
lin, ultima (*lege*) vulnus vexabitur & frigore etiam afficietur
col, 4, lin, 17, (*dele*) hâc ratione
lin.20, (*lege*) neos & hac ratione fiet Magneticum.
fol,137.col,4,lin,37, (*lege*) nem docet, ſeu emanationum à corporibus Mag-
fol.138,col,3,lin, 49,(*lege*) activitatis Sphæra (juſta imaginariam Philoſo.
fol,140,col,2,lin,38, (*lege*) ratione: Idque præcipuè quoniam ejus virtus per
lin,43, (*lege*) ad ſanguinem vulnerati ac fruſtrum ferri aut
fol,144,col,3, lin,42, (*lege*) æquinoctiali Auſtrali aut vivo aut dilatato
fol,148,col,2,lin,6, à fine (*lege*) turalium operatur, talia ineffectum
fol, 152,col,1,lin,17, (*lege*) thetica, in illam Antipatheticam redacta, non

In Reſponſo ad Hyplacriſma Spongum.

fol.4.col,2,lin,35 (*lege*) nis Olympicus ſeu ſtellaris tot hunc excel-
fol.13,col,1,lin,1,(*lege*) quo in ſe conſiderato ſine matre ſuâ, terra
fol,18,col,3,lin,6, à fine (*lege*) ſere radici Corgli & claudatur
fol,20,col,1,lin,31, (*lege*) bus Sal plantæ reſidet
fol,22,col,3,lin,7, (*lege*) liæ projectum reſurgere nec quod

SPECIAL c.1 87-B
14427
bound w/
87-B
14428
c.1